

pendium aliquod rei familiaris, honorisve pontifici maximo, ecclesiae praesulibus, aut denique ullis sacerdotibus adferre posse, haberent fortasse qui ecclesiam Christi hoc nomine reprehendunt, occasionem aliquam existimandi, maligne a nobis, et quaestus proprii spe calicem surreptum laicis fuisse: modo cum nihil simile dicere aut putare queant, ob eam rem maxime quod eundem neque sacerdotibus permittamus, nisi cum Christi munere in postrema coena fungentes, Deo optimo maximo in missa exhibent sacrificium: ad cuius naturam atque substantiam illud pertinet necessario, ut Christum sub utraque specie offerant, atque sumant. Dubium sane non est, quin hujusmodi calicis amatores, vitio potius quam justa ulla, honestaque occasione hoc titulo ecclesiam Christi traducant, atque suggillant.

An non illud vidistis, patres, si Germanis, aut privatis aliis nationibus calicem concedatis, esse continuo eundem Italis, Hispanis, atque universe piis omnibus bonis porrigendum? quos consentaneum est pari aut majori potius cum Germanis studio et pietatis affectu sanctissimum eucharistiae sacramentum colere, venerarique? Quis enim sibi possit persuadere, si vos calicem uni aut alteri provinciae permittatis, non protinus eundem caeteras omnes summa cum ratione petituras, durosque vos illis? nisi schisma velitis in vestra ecclesia excitari, atque scissuram fieri in Christi corpore: rem sane perniciosam, exitialemque. Quod si iniquum existimatis Hispanis calicem propinare, Italisque parum de hac re sollicitis hoc tempore, quorsum illum bibendum reliquis nationibus offeretis? Neque modo, si his hominibus calicem porrigatis, ea incommoda consequentur, quae numerata sint a me, sed alia insuper longe graviora.

Pergent enim iidem, credite mihi, eadem arte, urgebuntque vos, aliis ut rebus ipsorum similiter voluntate morem geratis: quod vestro in conspectu, habita (a) publice oratione, quidam istorum patroni zelo permoti (ut puto) significaverunt: nam praeter calicem quem deberi sibi horum plerique divino jure existimant: a qua opinione non facile se abduci posse plane testantur, sacerdotium maritis petunt, et concionandi facultatem efflagitant illis viris, qui nullis sacris ordinibus sunt initiati: contra Christianam oeconomiam, contra morem ecclesiae vestrae, contra summorum pontificum decreta, contra sanctissimas leges in conciliis generalibus latas, denique contra jus omne atque fas. Haec enim non tam arcto legum Christianarum vinculo constare credunt, et pari ratione necessaria arbitrantur, clamantque, ut suos in officio retinere queant, neque facile res novas moliantur, atque ad defectionem aspirent. Ita fiet, ut laxatis semel solutisque institutis, legibusque Christianis, magna ad contemptum caeterorum omnium fenestra patefiat, et universa disciplina Christiana sensim remittat vires, atque labascet.

Praeclare, mea sententia, Aristoteles diligentissime cavendam esse praecepit omnem mutationem legum, ne, ut ait, reipublicae disciplina corruat labefactata, atque homines assuescant legibus non obedire. Ferendum autem vobis, patres, non est ulla ratione, hujus legis observatione, quam vel eo solum nomine, quod a vobis condita sit, omnes saluberrimam putare debent, et reipublicae vestrae necessariam, Christianos homines ab haereticis superari, qui more suo, divina omnia atque humana jura pervertunt. Atqui scimus ex historiis, Anglos, haereticam (b) gentem, cum primum ab ecclesia discesserunt, passos non fuisse, ut populus, more sacerdotum, eucharistiam sub utraque specie sumeret: quinimo nova lege lata, antiquari de hac re priscam ecclesiae legem prohibuerunt. An vos unquam aequo animo feretis, patres, turpem illam maculam atque notam sacrosancto oecumenico concilio inuri, quod contra morem vetustae in ecclesia disciplinae, contra sanctorum patrum exempla, contra synodorum institutionem, abrogatione saluberrimae legis iudicio ecclesiae conditae, et magno antiquitatis consensu comprobatae, velitis haereticos homines ab errore revocare, quem non deserent, credite mihi, plurima licet alia concedatis eisdem: aut retinere in eadem disciplina orthodoxos, qui diligentissimi legum vestrarum, et morum ecclesiae custodes esse debent sine murmuratione, et qui dum ecclesiae statutis non plane acquiescunt, manifestae defectionis a vobis indicium praebent.

Minime sane puto, neque id usque Christus pati poterit, qui matrimonio sibi junxit ecclesiam, pulcram, immaculatamque: addo praeterea, si calicem his hominibus, qui se fideles profitentur, porrigatis, tantum abesse a iudicio meo, ut eosdem arctius in officio religionis imposterum hac una

(a) *In oratione oratoris Bavariae ducis.*

(b) Robertus Pontanus libro 4. rerum memorabilium.

re, veluti initio sumpto, eisdem occasionem reperisse, ab ecclesia catholica discedendi: quod unum quidam vestri ordinis pietate atque literis (a) insignis, in scriptis suis admodum prudenter animadvertit. Quorsum enim tanta contentione calicem a vobis exigant, quem vos illis simul cum sanctissimo Christi corpore sub specie panis porrigitis, causam nullam video, nisi ut separationis ansam habeant: decreta vestra contemnant: conciliis repugnent: atque ecclesiam Christi discant non audire.

Hactenus quidem, sanctissimi patres, usurpatus a quibusdam, aut potius contra ecclesiae Romanae legem per vim raptus calix, illud commodi afferebat, iudicio eorum qui vixerunt in Germania diu, quod hac veluti nota, atque indicio non obscuro, homines orthodoxi ab haereticis discreti, sibi admodum diligenter cavebant, ne quid in fide detrimenti paterentur: nunc vero si calicem laicis permittatis, non solum hunc aditum ad iudicium de religione faciendum plurimum necessarium praecludetis: sed quod gravissime ferendum est, hinc facile impii et novatores occasionem arripiant, qua animati caeteros omnes pravis opinionibus corrumpant atque pervertant. Cum enim tam familiariter in posterum cum catholicis hominibus agere debeant, et usque adeo cum illis arcto vinculo copulari, ut in eadem sacratissima mensa, de manu ejusdem patrisfamilias, eundem panem sacratissimum, et calicem quoque eundem, hoc est, corpus et sanguinem Christi, sint sumpturi; nemini dubium est, quin callidissimi haeretici, qui omnibus artibus atque modis, fidei, religioni, et pietati insidias parant, summa ope laboraturi sint, ut eos homines, cum quibus versantur, socios sceleris atque flagitii effectos in errorem suum pertrahant: atque hoc sane detrimentum non hi modo, qui instabiles sunt, atque in fide parum firmi, ferent proculdubio, sed horum praeterea exemplo caeteri provocati, qui religione adducti neque extremis labiis calicem attingunt, in absurdissimas haeticorum sententias sensim praecipites, abibunt. Ita fiet, ut hac ipsa indulgentia vestra, patres, quae vel hoc solum nomine inclementia putari potest, haeretici intelligant, commoditatem se reperisse nocendi reipublicae vestrae, minori negotio suo.

Quod si hoc incommodum minime timeremus, quod certo scimus pro foribus instare ac sese sponte ingerit, quis est obsecro usque adeo plumbeus, aut mente captus, qui non videat, si semel quispiam calicem auctoritate vestra atque consilio bibat, haeticos omnes, neque sacramentarios modo, sed cujusvis etiam ordinis atque instituti, protinus stentorea voce clamaturos, facile ut ab omnibus percipi possint, atque etiam libris editis, (quod faciunt non gravate) victoriam stare pro se, papistas (ut illi loquuntur) victos, atque prostratos jacere, quod qui olim calicem laicis subriperatis invidia potius quam ratione, evangelicorum argumentis superati propriis eundem dominis restituatis. Tunc vero cum nullum jam suppetat remedium, nisi vobis diligenter caveatis, aperte intelligetis, religionis dissidium, ministerio satanae apud quosdam excitatum, minime componi aut sedari posse, si calix laicis permittatur, quod urgent hujus sententiae patroni, defensoresque: etenim hoc (magnorum virorum opinione) alere potius est, quam sedare dissidium. Nam qui se ab ecclesia segregaverunt, illud unum ardentibus votis expetunt, ut vel una in re ab universa Romana discedere sibi integrum fiat: quo fundamento discessionis jacto, quo non eos progressuros putemus? Imprimis erroris arguent totam ecclesiam, quod sine causa, his qui sumunt eucharistiam extra sacrificium, calicem abstulerit: ex eodem deinde principio colligent, liberum esse sibi, a caeteris ecclesiae praeceptis dissentire, atque in contrariam si velint abire sententiam: atque id facile rudibus hominibus persuadere poterunt. Nihil enim impedit (dicent) quo minus id aliis quoque in rebus liceat sibi, perinde atque in hac: ita fiet proculdubio, ut nihil sit fide nostra incertius, nihil nostris legibus mutabilius, nihil denique statu ecclesiae perturbatius, et id maxime culpa nostra.

Sunt qui magnopere mirentur, atque alios subinde rogent, quid potissimum causae sit, cur hujusmodi nationes, quae calicis studio teneri se dicunt, eundem a vobis tanta animi contentione requirant, et tam studiose ac solícite ambient atque procurent, neque pontificem adire velint eundemque precibus solícitare, cum perinde atque vobis, patres, facultas inest, calicis usum laicis permittendi, cum res postulare videatur: bonam tamen eorum hominum partem, qui rem istam acute admodum, ut apparet, perspexerunt, quod fuerint eandem propius contemplati, dicere video, illud unum in causa esse, puta quod horum plerique, quibus petitur calix, pontificibus hac in re

(a) Reverendissimi cardinalis Warmienseis de communione sub utraque specie, et contra Brentium.

eferint mentiti non semel, fidemque illis datam fregerint. Plurimum igitur verentur, ne jam vera utiam dicentibus non credatur: atque ita conatus cadat irritus.

Altera pars (quam vere, nescio) eo consilio factum existimat, quod hujusmodi homines non tanti faciant pontificem maximum, et vicarium Christi, quanti debent. Ego vero strenuam istam diligentiam sic interpretari soleo (atque utinam dum ita divino, verus vates non sim) ab his hominibus id curari maxime, ut semel ab eo calicem ferant, qui eundem non facile possit adimere: si calicem pontifex porrexerit, cum primum eodem intemperantius laici sint abusi, aut impositas condiciones praetergressi, nullus sane labor erit mutare factum: at vero si ducenti sanctissimi patres, doctissimique, si sacrosancta synodus in Spiritu sancto Tridenti legitime congregata, aut potius universa ecclesia Christi, quam concilium oecumenicum repraesentat, calicem propinet, ubi scelesti homines, transfugae, atque fidei desertores condiciones contempserint, ac pro nihilo duxerint, quod remedium capietis patres, adversus sanctissimi foederis atque pacti transgressores, ut illam Christo injuriam ulciscamini? Vocabuntur fortasse praesules statim, deserent episcopi ecclesias suas, et mari, terraque iterum pericula subibunt, atque ita concilium rursus magnis sumptibus instaurabitur, ut qui laicis copiam calicis feceratis, sublatum eundem imposterum custodialis diligentius. Quando igitur proprio, patres, periculo comperistis, quantae molis sit, comitia ista, et conventus ecclesiae cogere, cavete per Deum immortalem diligentissime, ne dum in alios, quam par sit, benigniores atque indulgentiores esse vultis, in vos ipsos, in leges, atque statuta vestra, in Christianam rempublicam, in sanguinem quo redempti sumus, in ipsum denique Christum Iesum saevi atque crudeles sitis: dum in eas angustias vos conjicilis, unde non facile eripi possitis.

His atque id genus aliis rationibus, quas brevitatis studio praetermitto qui sit bene moratus, atque animo et vita constitutus ut ratio postulat, facile sibi possit persuadere, non esse his hominibus calicem permittendum, qui vere Christiani sint, quaecumque videatur refulgere spes eosdem in officio retinendi, aut errantes a via revocandi ad ecclesiam: cum ea (ut apparet) nullo firmo atque stabili fundamento nixa sit. Restat ut eundem haereticis permittamus, atque his (si placet) invitis et repugnantibus: nam neque petent illi usque ad ambas aures immersi, hactenus ingurgitaverunt: neque si ea sponte offerat sua, de manu vestra volent bibere.

Audite, quam diu hanc sententiam, et praeceptum haereticorum instillarit animis, atque scriptum reliquerit ipsorum coryphaeus atque antesignanus Martinus Lutherus. *Si concilium statueret, ut calix permitteretur, ob hanc solam causam, quod ita concilium statuit, nolo ut eodem utamini: sed in despectum concilii, aut una, aut neutra, nequaquam vero utraque specie potiamini:* addit, se habiturum anathema, quicumque auctoritate talis concilii utraque potiatur. In hoc vero sententia persuadenda necessarium sane non est: ut multum operae atque industriae ponamus, quod ea ipsa prima statim fronte venenum nocentissimum ostendet: ut enim taceam hanc vestram indulgentiam patres, si eadem velitis uti, ad dissidium de religione componendum nullius momenti fore, quod orator Bavariae his verbis ait, dubium non est, etiam si haec tria (significat autem calicem laicorum, matrimonium sacerdotum, turpemque vitam clericorum) ex quadam catholicae matris ecclesiae indulgentia, praesentis concilii auctoritate rite ordinarentur, sectarios duces, et populos seductos, ad ecclesiam non esse reversuros, cum palam editis libris non dubitent obfirmare sese, nunquam se summis pontificibus obedientiam praestare velle: cujus indicium est, nullum sui ordinis atque status virum ab eis Tridentum missum fuisse, qui more veterum haereticorum, ipsorum nomine supplex a vobis postularet, ut condonatis erroribus admissis, calicem illis relinquatis: ut insuper taceam, relicto calice, adversus ecclesiam insolentiores efficiendos, quasi de eadem victoriam reportaverint, et magnifica spolia tulerint.

Quid aliud est, obsecro, calicem haereticis permittere, Christi corpus atque sanguinem continentem, quam margaritas ante porcos projici, sanctum dari canibus, Christique sanguinem pedibus hostium ecclesiae conculcandum praebere? quod severissime prohibemur. Revocate in memoriam vestram, obsecro vos, Paulum III, pontificem maximum paterna charitate permotum calicem Germanis, qui ejus cupiditate capti, aiebant se universos cum calice errores deserturos, honestis quibusdam et necessariis conditionibus adjunctis, olim permisisse, neque id semel remedium tentatum est, sed perfidi et veteratores calcatis conditionibus, contempta fide data hominibus atque Deo, in despectum pontificis summi, et totius ecclesiae Christi, eodem calice temere abusi sunt. Ut intelligatis patres impositas condiciones parum esse profuturas, calicem illi jactabunt, condiciones vero suppriment omnino: cavete ne tertio cum dedecore pacta infecta rescindatis, et quando alienum fa-

cile suppetit, ne velitis, obsecro vos per viscera Iesu Christi, proprio periculo sapere.

Perpendite igitur, quid agatis, in quas temporum angustias conjecti sitis, quid postulet loci dignitas in quo, divino beneficio estis collocati, quid his artibus agat satanas, quid etiam de calidissimis atque vaftris haereticis sperari possit, neque vos cujuscumque auctoritate, et majestate nominis opprimi sinatis, quo minus ecclesiae Christi, cui fidem dedistis olim, ut facitis diligentissime, consulatis. Nam neque imperator Ferdinandus, qui longis experimentis fidei, quam Christo debet, magnifica testimonia orbi terrarum exhibuit, neque rursus illustrissimus ejus gener Bavariae dux, vobis ecclesiae principibus imperare volunt, neque hac in re quid agere debeatis ulla ratione praescribere, quod in orationibus suis plane docent: morbum tantum (ut ajunt) aperiunt, atque a vobis, tamquam a peritis medicis, efficacem requirunt atque sperant medicinam: videre tamen, nedum corpus sanare vultis, gravior fiat animorum jactura.

Quod si et socero, et genero spectatae religionis, et pietatis viris, gravitati insuper vestrae, atque hujus ordinis amplitudini satisfacere velitis, deligite ex vobis probatos viros, qui, ut rem omnem adamussim intelligere possint, Germaniam, Bohemiam, atque Ungariam contendant, qui eorum regnorum principes viros adeant, praesules consulant, rogent plebem, istos etiam ministros satanae excutiant prius, atque ex eis certo scire laborent, vestris ne decretis stare velint, si calicem permittatis: si annuant, res peragetur optimis conditionibus, sine gravi metu discessionis, obstrictis ante et confirmatis juramento dissidii principibus: si abnuant, nemo vos cum ratione possit reprehendere. At si quod unus aut alter calicem petat, in cujus potestate situm fortasse non est, etiam si velit maxime, caeteros omnes in antiqua religione continere, nedum a suscepto jam errore eosdem revocare, protinus vos contra leges vestras, contra consuetudinem jure susceptam, illum cuiquam liberam sumendi copiam faciatis, timor est profecto, ne pro benignitate saevitiam, pro pace bellum, pro concordia tumultum, pro unitate animorum, novum aliquod in ecclesia vestra schisma sentiat: neque modo herbam porrexisset vestris hostibus ea ratione videamini, sed arma quoque subministrasse, quibus in viscera reipublicae vestrae crudelissime adactis, leges illi atque statuta vestra confodiant. Contra vero si feceritis patres ego non dubito quin Christus Iesus viam atque rationem vobis sit monstraturus, qua ecclesiae (quam unice deligit) praesentaneam opem feratis. Dixi.

XII.

SERMON PREDICADO AL GENERAL CONCILIO DE TRENTO POR EL DOCTOR PEDRO FUENTIDUEÑA.

EL DIA DE LA FESTIVIDAD DE SAN GERONIMO, 30 DE SETIEMBRE DE 1562.

Vos estis lux mundi. Matth. 5.

QUEMADMODUM caelum hoc splendidissimum, multis syderibus tanquam luminibus quibusdam, et ad utilitatem, salutemque rerum necessariis, et ad speciem, aspectumque pulcherrimis divina sapientia et bonitas exornavit: neque omnia vim eandem virtutemque sortiuntur, neque semper omnia nostris oculis patent, sed aliis exorientibus alia occidunt, et occumbunt; ut cursu, splendore, atque virtute veluti jucunda quadam ac necessaria vicissitudine volverentur: Sic Christus optimus maximus ecclesiam Christianam, quae regnum caelorum appellatur, in qua teste propheta fulgent justi (*Sap 3.*) sicuti luminaria caeli, sanctissimis et sapientissimis hominibus tanquam incensis facibus splendere, variis illos atque diversis virtutibus eminere, aliis atque aliis temporibus et saeculis florere voluit, ut haberet caecitas mortalium lumen quod intueri, et exempla quae referre et imitari potuisset. Et quoniam illi dum in terris inter mortales versarentur, et lucem tenebris intulerunt, et hominum pectora amore virtutis inflammaverunt, ne illorum exemplum interiret, ad excitandam socordiam nostram, et illorum gloriam atque nomen illustrandum, decrevit ecclesia illorum vitam,

facta, virtutes, laudes denique omnes in populi Christiani conspectu certis statisque diebus celebrari. Ut eos quos naturae conditio, quae neminem hic immortalem esse patitur, nobis subduxit, viva et immortalis eorum memoria in Christianorum mentibus conservaret. Hodieraum itaque diem clarissimo illi et fulgentissimo sydere, sanctissimo inquam Hieronymo consecravit, cujus splendore et nostrae mentis acies perstringitur, et tantarum virtutum atque laudum pondere orationis et ingenii nostri vires obruantur, nisi divino praesidio sublevantur. Ut igitur dignam tanto ecclesiae principe orationem habere possimus, ut ea quae a nobis dicentur, purioribus animis, et sincerioribus auribus excipiantur, ut omnia cedant in Dei optimi maximi gloriam, et in divi Hieronymi laudem, divinam imprimis gratiam atque favorem imploremus, atque ad eam obtinendam sanctissimae virginis Mariae patrocinium exiguo illo, sed tamen sibi gratissimo angelicae salutationis sacrificio nobis promereamur, dicentes: Ave Maria.

Vos estis lux mundi. Ex evangelio Matthaei capite 5.

Cum multa atque magna Christi optimi maximi, in genus humanum collata extiterint beneficia, illustrissimi legati, patres reverendissimi, qui tot tantisque suis laboribus, aerumnis, opprobriis, contumeliis et morte demum acerbissima, vitam nobis, salutem, libertatem, veram sapientiam, atque religionem fuerit adeptus: unde triumphum etiam ipse sibi gloriosissimum, et praeclaros illos, illustresque titulos reportaverit: ut totius orbis servator, doctor, pax, vita, otium, veritas, pastor, vita, salus, felicitasque mortalium jure optimo diceretur: nullus tamen inter hos titulos clarior mihi, illustriorque videri solet illo, quo et lumen, et splendor Patris, et sol multis prophetarum vaticiniis, et aperta apostolorum atque totius ecclesiae praedicatione appellari consuevit. Quid enim de Christo Iesu vitae magistro aut sapientius excogitari, aut aptius et convenientius dici unquam potuisset, quam illum Solem nuncupare, qui primus miseris mortalibus, qui densissimis in tenebris, nullo duce, qui iter ostenderet, nullo etiam lumine, quo illud intuerentur, adhibito: incertis cursibus, et incredibili caecitate vagabantur, verae virtutis atque sapientiae viam verus ipse Mercurius veluti intento digito commonstraverit? Atque hunc quidem exorientem splendidissimum Solem cum acerrimus ille concionator, vatesque divinus Isaias aliquando prophetica mente contempleretur, mortales omnes spe hujus tantae futurae felicitatis illis verbis erigebat. Non tibi (*Isai. 60.*) amplius Sol diurnam lucem diffundet, nec Lunae splendor lucem subinde ministrabit: sed erit tibi dominus lux sempiterna, et Deus claritas tua. Hoc etiam eodem nomine justos et pios homines Malachias consolabatur: Vobis, inquit, qui (*Malach. 4.*) nomen meum reformidatis, Sol exorietur justitiae, cujus radiis vestra salus continebitur. Sed quamquam Sol iste beatissimus, veteribus antiquae legis et prophetarum umbris, caelesti sapientia lucem jam aliquam attulisset: licet ipse propulsatis magna ex parte scelerum et ignorantiae tenebris, divina praedicatione, et exemplo innocentissimae vitae, tamquam splendidissimis virtutis et sapientiae radiis hominum mentes illustrasset: cum jam sibi infestis, atque inimicis Pharisaeorum animis crudele exitium comparari animadverteret: priusquam funestissima crucis nocte contactus sese abderet et occumberet, et densissima illa crudelissimae mortis involutus caligine se mortalium oculis subduceret: lumina duodecim decrevit accendere, quasi fulgentia sidera, quae, ipso occidente Sole, totum reliquum orbem eodem evangelii splendore complerent. Ut quemadmodum astra Solis lumine percussa sic lucent, splendenque ut in illis intuentium oculi lucem candidissimam Solis, illiusque vim admirabilem deprehendant: sic in apostolorum sermonibus, et operibus Christi splendore collustratis, divinitatis ejus apertissimam significationem, et expressissima vestigia mortales omnes contemplantur.

Hos igitur sanctissimos, innocentissimosque homines, quos ad tantam Christus evehebat dignitatem ut eos veluti clarissima quaedam lumina, totius orbis tenebris vellet inferre, non illos quidem claros, et illustres ex aulis principum, sed obscuros et ignobiles ex retibus ad evangelia vocavit, hos selegit ex infinita hominum multitudine, quos in collegium illud sanctissimum cooptaret: quos in illa sua consilia plena divinitatis admitteret: quibus arcana divina et caelestis sapientiae fontes aperiret: quos sibi suae praedicationis socios, laborum comites, miraculorum testes adhiberet: et primos esse vellet suae bonitatis, clementiae atque mansuetudinis imitatores: et duces exercitus Christiani, qui sublato crucis vexillo totum orbem evangelicis legibus subjugarent: quos cum recte sentiendi magistros et exempla bene vivendi, veluti quasdam ardentes lampadas accenderet, quibus omnem posteritatem Christiani nominis amore, et studio virtutis inflammaret: merito illos hodierno

die et terrae salem, et mundi lucem appellavit. Quid enim potuit caelestis magister caecis ignorantiae tenebris opponere luce praestantius? Quid terrae, tot vitiis et sceleribus contaminatae, et infectae, sale convenientius? Quibus obsecro aliis significantioribus verbis, quam iis duobus salis et lucis, et terrae vulnera, et apostolorum officia evidentius exprimere potuisset? De quibus nobis hodierna die sanctissimi patres dicendum est.

Nam primo quanta cum ratione Christus lux fuerit appellatus, et apostoli, atque apostolorum successores, explicabimus: deinde vero de officio eorum qui hanc honorificam compellationem adepti sunt, disseremus: postremo vero loco, de splendidissimo hoc et clarissimo lumine, de sanctissimo, inquam, Hieronymo, quem nobis hodie ecclesia celebrandum imitandumque proponit, pauca dicemus. Attendite obsecro, clarissimi viri, ad vos etenim solos tota nostra pertinebit oratio, quos divina virtus et excellens doctrina, in tam excelso dignitatis gradu collocavit, ut successores apostolorum, pastores dominici gregis, evangelii praecones, et mundi lumina appellemini; et quantum onus, quam laboriosa provincia iis tam praeclaris titulis contineatur, tacita vestrorum animorum cogitatione perpendite. O utinam fieri potuisset ut vel aliquis ex vestro ordine hanc tantam causam suscepisset, vel mihi sapientia vestra, oratio et auctoritas contigisset, ut hodierno die in hac orbis gentium clarissima corona divina Christi verba, apostolorum dignitatem, Hieronymi sanctissimam vitam, statum veteris ecclesiae, luctuosam et miserabilem nostrorum temporum faciem exprimere dicendo potuissem; efficerem sane, ut cum illius temporis sanctissimos viros, cum hominibus nostris, cum aurea illa saecula, cum ferrea hac aetate nostra collata, contemplaremini; et tempora a temporibus, et homines ab hominibus turpiter degenerasse lugeretur. Sed quando id fieri non potest. conabor ego, rem hanc tantam, (etsi non pro dignitate) ita tamen explicare, ut si minus expressisse, adumbrasse tamen illius imaginem videamur.

Atque ut causas primum atque rationes, ob quas Christus servator noster Sol diceretur, aperiamus: lustremus primum animo et cogitatione totum illud tempus ante adventum ejus felicissimum. Quid aliud obsecro nobis cogitantibus, et omni mentis acie caliginosam illam vetustatem contemplantibus sese offert, praeter obscurissimas quasdam et densissimas tenebras? Nam ut interim populum Israeliticum praetermittamus, cujus leges, instituta, sacra, ceremonias, animantium sanguine cruentas aras totamque illam pecudum carnificinam, omnia (*Rom. 13.*) denique sacrificia, noctem Paulus appellavit, quod nihil aliud fuisse viderentur, quam quaedam tegumenta, quibus (veluti obscura quadam nube) Sol hic splendidissimus Christus contegeretur. Quis gentium errores? quis barbaros mores? quis instituta vivendi? quis miseram, confusam, terribilissimamque illam temporum faciem posset explicare dicendo? Quis multiplicis illos delusae atque perditae gentilitatis sinus explicare? quis errorum causas, progressus, eventusque recensere? Principio quidem omnium insanarum cupiditatum semina jam inde a primo illo malorum fonte derivata cum pueris nascebantur, illorum visceribus inhaerentia: tum vero ipsamet stultitia (*Prov. 22.*) cum infantis corde (ut dixit Solomon) colligata, prodibat in lucem: accedebat ad haec naturae vulnera, perniciose disciplina: philosophis enim informandi atque instituendi pueri tradebantur, qui cum morum censors, veritatis magistri esse debuissent: non sapientiae doctores, sed ignorantiae duces: non flagitiorum hostes, sed scelerum satellites: non morum magistri, sed ministri cupiditatum omnium extitere. Hinc cum ipsis errorum gymnasiis, depravata natura, et perniciose institutione, juvenes erudirentur, in omne genus errorum tenerae illorum mentes praecipites ferebantur. Et cum quae esset vera laus, atque dignitas, ignorarent: personata quadam felicitate decepti, saepe pro virtutibus vitia, pro dignitate infamiam, pro felicitate miseriam sectabantur. Et quemadmodum qui noctu iter ingredientur, per invia loca interrupta voraginibus, latrociniis infesta, referta periculis, infortunia vitare non possunt: sic illi divino splendore destituti, atque tot undique animorum hostibus circumsepti, in illas ignorantiae et flagitiorum insidias passim incidebant.

Omnes itaque mundi nationes caligine circumfusae, non rationem, sed impotentes affectus sequebantur. Conflagrabat libidine Asia: Ægyptus animantibus atque lapidibus divinos honores deferbat: mendacissima Graecia poetarum fabulis et importunissimis philosophorum clamoribus personabat: Italia bellico furore et gloriae cupiditate fremebat: reliquae orbis provinciae eisdem morbis et perturbationibus aestuabant. In ea denique scelerum sentina, et rerum ignorantia mortales omnes versabantur, ut non errare, sed insanire: non labi aut decipi, sed cum lacte errorem suxisse: et quod Cebes Thebanus ille philosophus sapienter meo iudicio, dicebat: errorem omnes bibisse viderentur. Qui ergo in tam confusa rerum perturbatione, virtutis atque sapientiae caelestis illato

lumi densissimas ignorantiae, et improbitatis tenebras dissipavit: qui iter ad felicitatem (nostris sceleribus interclusum) aperuit: qui viam mortalibus ad immortalitatem patefecit: nonne jure optimo lux et Sol erit appellandus? O divina bonitas et incredibilis sapientia Christi Iesu, qui hodierna die e summo illo montis vertice, tamquam ex aliquo suggesto, ad circumfusam multitudinem concionatus, visus est veluti Sol exoriens, candidissimo splendore exornatus, tristissimas ignorantiae tenebras laetissima divinae sapientiae luce fugasse. Cui si non salutem, si non libertatem, si non vitam, si non denique caelum ipsum deberemus: sed hodiernam solum ejus concionem, quas novas leges ex illo supercilio montis omnibus mortalibus, sicut Moses veteres (*Levit. 7. 1. Cor. 1.*) ex Sina monte populo Israelitico, promulgavit: qua stultam fecit sapientiam hujus mundi, quam novam et inauditam bene vivendi formam, rationemque praescripsit: quis non illum et Deum agnosceret, et divinis honoribus prosequeretur? Quis non hunc perexiguam Christi sermonem, innumerabilibus Lycurgi, Solonis, Mercurii, Rhadamanthi legibus, omnibus etiam bibliothecis philosophorum anteferet?

Quod si diviniore quasdam sententias, quod eas nec sapientissimos homines excogitare potuisse arbitrabantur, Apollini Pythio acceptas antiquitas referebat, eas templi valvis affixas, tamquam sapientiae primitias illi consecravit: quis non videat, non unam aut alteram sententiam, sed totam humanam vitae institutionem paucissimis iis Christi verbis comprehensam, quam nullus unquam mortalium non modo cogitare, sed neque suspicari quidem potuisset, non ab humana, sed a divina solum sapientia promanasse? Quid porro tam novum, tam inauditum, tam (*Matth. 6.*) longe positum ab humana cogitatione, quam nostram felicitatem, paupertate spiritus, luctu et lacrymis delitescere? Quis Xerxi, Hannibali, Caesari, Alexandro, quibus totus orbis tenue et angustum suae laudis domicilium videbatur, qui tot regna, nationes, imperia, quot terra marique continentur, sterilem suae gloriae segetem arbitrabantur, dicere auderet: amplitudinem verae laudis et gloriae angustiis quibusdam, et quasi carceribus spiritus contineri? Quis reliquis imperatoribus persuadere potuisset, totius orbis possessiones, mansuetudini animi, et non bellico furori, et armatae audaciae esse tribuendas? Quis Epicuro, et Cyrenaicis hominibus luxu diffluentibus, in squalore et lacrymis sempiternam laetitiam sitam esse probaret? Quis reliquis philosophis, elatis humana sapientia, et hominibus illis, quos claritas generis, divitiarum affluentia, dignitas et potentia arrogantes atque insolentes efficiebat, persuaderet: in stultitia sapientiam: in humilitate majestatem: in ignominia gloriam: in contumeliis honorem: in opprobriis dignitatem: in indigentia divitias: in calamitatibus et infortuniis aeternam beatitudinem esse collocatam! Nullus plane praeter Deum id efficere potuisset. Qui cum quondam Moysi per angelos, populo Israelitico per prophetas loqueretur: novissimis temporibus per filium unicum, suam nobis voluntatem aeternis evangelii monumentis, et illius sanguine consignatam contestatamque reliquit.

Quis ergo jam est, cui non et veteres tenebras consideranti, et istam evangelicae doctrinae lucem intuenti, Christus non (*Hebr. 1.*) solum, ut Sol esset, natus fuisse videatur? Quis est, qui non intelligat apostolos, qui totum orbem, eodem evangelii lumine illustrarunt, lumina etiam appellari debuisse? Sed cum Christus Iesus hanc honorificam Solis compellationem, tantis sibi opprobriis et contumeliis constituisse recordaretur, cum nosset hanc suam evangelicam philosophiam odio et invidia plenam esse futuram, utpote quae deorum aris, templis, altaribus, nefandis sacrificiis, et ceremoniis, omnibus scholis, gymnasiisque philosophorum bellum esset cruentum illatura: quae sceleratorum hominum audaciam frangere: quae principum furori, et non factis modo, sed improbis etiam cogitationibus obviam ire debuisset: cum nosset lucem caligantibus oculis, et salem vulneribus acerbissimum esse futurum: et hinc bellum acerrimum suis carissimis apostolis imminere: et eo acerbius atque luctuosius erat futurum, quod incruenta illa pugna, cum potentissimis adversariis, discipulos suos, non armatos, sed inermes et nudos: non sapientia, sed stultitia crucis: non potentia, sed patientia: non ferro, sed evangelio congressuros esse videret. Prius ergo quam illos lucem appellavisset, ad tantum bellum spe beatitudinis et exemplo prophetarum armavit. *Beati, inquit estis cum maledixerint (Matth. 5.) vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et quoniam homines duci studio laudis intelligebat, nihilque eos magis optare, quam ut suum nomen toti orbi clarum et celebre redderetur: quibus in rebus Christianos homines elucere oporteat, illis verbis indicavit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum*

qui in caelis est, ut intelligerent omnia in Dei laudem atque gloriam esse referenda. Deinde vero summam eorum dignitatem, et quales illos esse vellet, quibus hoc tantum evangelicae praedicationis munus committebat, duobus hodierni evangelii verbis explicavit, cum illos et terrae salem et mundi lucem appellavit.

Sed quoniam satis multa de ipsa lucis compellatione dixisse videmur, de officio ipso pastorum atque munere dicamus. Quapropter vos obsécro, sanctissimi patres, ut eas quas hactenus, dicenti benevolas et attentas aures accommodetis. Remigare paululum imprimis nobis necesse est, dum explicamus, qua ratione Christus salis et lucis nomine apostolos officii sui commonefecerit: deinde vero vela pandemus orationi, et per hoc immensum caelestis doctrinae pelagus, citatis remis, velisque feremur. Mihi quidem saepenumero atque diligenter haec Christi verba consideranti, nihil sapientius excogitari potuisse videri solet, ad exprimendam imaginem illorum hominum qui rerum publicarum, et animorum potissimum, fraena moderantur: quam illos et salem et lumen appellavisse: ut qui salis ingenium, qui luminis naturam perspectam habuerit et exploratam, apostolicam antistitem dignitatem, et illorum officia atque munera facile deprehendat. Sanius Pythagoras, patres gravissimi, qui signis quibusdam totam suam inclusit, philosophiam salem justitiae et aequitatis symbolum fecit: Moyses vero sanctissimus, qui legem (*Num. 27. Levit. 2.*) evangelicam dictis et factis adumbrabat, nunc aeternitatis symbolum faciebat, cum aliquando pactum salis, foedus sempiternum appellabat: nunc iudicii atque delectus, cum illum omnibus sacrificiis permisceri jubebat: Christus vero caelestis philosophus, qui veritatem ex ipsis philosophorum latebris, et Mosaicae legis umbris in lucem extrahebat, muneris apostolici signum et quasi tesseram esse voluit: ut quemadmodum Moses, et antiqui patres, rebus corporeis addicti atque consecrati, illa sacrificia grata Deo esse credebant, quae sale conspersa ad aras deferebantur: sic hoc evangelicae legis tempore, quo tota illa cura atque sollicitudo religionis a corporibus abstracta ad mentem potissimum et spiritum devoluta est, significavit Christus jam istas animorum hostias non esse sine sale offerendas, ne illis insipidis et insulsis, Deo stomachum nauseamque moveremus: et sicut sal rebus jam prope desperatis et emortuis, veluti, quemdam animum, vitamque restituit, infectis vero atque contaminatis tribuit quamdam immortalitatem: sic apostoli ut mortalium animos ab aeternae mortis faucibus eriperent, et evangelii beneficio, gloriae immortalitate donarent, et veluti praesente lumine tenebrae fugiunt, atque dissipantur: sic conspecta apostolorum innocentissima vita, et audita caelesti doctrina, veluti duabus facibus adhibitis, omnium animorum caligines ex humanis mentibus pellerentur.

Quid enim est aliud salis et lucis officio fungi, quam cum duo sint animorum tyranni, quibus homines oppugnantur et opprimuntur, caecitas nempe mentis et perversitas voluntatis, ita vitam componere, et sermonem temperare, ut splendore evangelicae doctrinae caecitatem animorum propulsemus, et innocenti vita aliorum voluntates exemplo virtutis incendamus? Attendant jam ergo diligenter qui apostolica dignitate gloriantur, et quantum cum illa oneris atque negotii suscipiant, secum aliquando taciti perpendant atque meditentur. Nam cum illos et terrae salem, et mundi lucem Christus appellavit: dignitatis quidem amplitudinem, sed magnitudinem etiam laboris: honoris praestantiam, sed oneris etiam difficultatem indicavit. Quid est per Deum immortalem magis laboriosum, quam non modo seipsum, sed alios ab omni contagione labeque vitiorum immunes conservare, et in officio retinere? Etenim ad virtutem impellere, a vitiis revocare, nunc suppliciorum metu nefarios homines deterrere, nunc spe praemiorum erigere et inflammare, avaris libertatem: libidinis castitatem et temperantiam: timidis constantiam: omnibus frugalitatem persuadere: ex crudeli misericordem: ex impio justum: humilem ex superbo: ex improbo innocentem facere: extirpare vitiorum radices, extorquere pravas cogitationes, et quasi quoddam imperium in hominum mentes exercere, majus est quam ut cujusque oratione explicari possit. Quid enim potest fingi aut excogitari difficilius, quam non solum turpiter facta, petulanter dicta, sed internos ipsos pravos animi sensus, cogitationesque corrigere? Parricidam, ne alterum occidat: latronem, ne furetur: adulterum, ne violet cujusquam pudicitiam, efficere licet sit difficillimum: fieri tamen potest, si illius manibus catenas, pedibus compedes injicias, et in carcerem detrudas; sed ut furari nolit, ut neminem odio prosequatur, ut interno non flagret libidinis incendio, praestare ita magnum est, ut vix cuiquam mortalium concessum esse videatur. Est enim illud non corporis, sed dominae voluntatis esse censors, quae nullis catenis constringi, nulla vi invita cogi aut coerceri potest.

Iam vero jacentes sublevare, consolari calamitosos, labantes confirmare, haeresibus occurrere,

manum praecipitantibus porrigere, pauperum indigentibus subvenire, omnium miseris commoveri: omnia (ut fecit Paulus) omnibus (1. Cor. 9.) fieri, et more velocissimi sideris undecumque advocatum, veluti numen aliquod adesse, omnia invisere, omnia collustrare, omnia videre et audire, sibi et aliorum saluti consulere, et quasi in puppi sedentem, rectum clavum tenere, cujus obsecro tanti laboris et tam inauditae virtutis est? Merito divus Gregorius nullam artem, nullamque disciplinam difficiliorem esse dicebat, quam animorum regimen et moderationem.

Haec sunt, sanctissimi patres, pastorum munera, existimare debet qui se lucem appellari gaudet, sibi fidem, religionem, evangelicas leges, animorum salutem, Christi gloriam, et quasi ecclesiae navim esse commissam, oportere se vigilantem et circumspectum nautam de aliorum salute sollicitum exhibere: periculosae hujus navigationis monstra, daemonis et haereticorum insidias ostendere, et quasi digito monstrare: hic Scyllam, ibi Charybdim: illic cautes et scopulos delitescere, qui navigantibus insidentur, omni contentione fugiendos: consideret se ducem etiam esse et imperatorem exercitus Christiani, sibi secum et cum aliis bellum esse susceptum, cum populi vitiis atque sceleribus esse pugnandum, nunc militum timiditatem animandam, nunc audaciam comprimendam, nunc impellendos et cohortandos ad pugnam milites, nunc vero revocandos et retinendos, saepe classicum, saepe etiam et receptui esse cauendum. Scipionem cum Marco Catone Romani conferentes, ut Catonis laudes amplificarent, Scipionem foris cum hostibus armatum, Catonem domi cum vitiis togatum, bellum gessisse dicebant: majoremque gloriam, domesticis vitiis profligatis Catonem fuisse consequutum, quam Scipionem tot superatis hostibus, et latissime imperio propagato, quod multo esset illustrius, vitia quam homines superare. Quod si vir ille non admonitus de caelo, sed vestigia solum naturae sequutus, ad officium suum pertinere arbitrabatur, extirpandis vitiis totam suam operam et studium collocare: quid ecclesiae pastoribus faciendum esse putabimus, quos ipsa divina sapientia hujus belli quod cum animorum hostibus gerimus, voluit esse primipilos et antesignanos?

O fides sanctorum apostolorum inaudita, o virtus et ardor ille animorum incredibilis, qui hodiernis Christi verbis, non persuasi modo, sed inflammati et incensi, cum se Christi legatos et mundi lucem agnovissent, non illam delitescere passi sunt, sed in eo loco collocaverunt, unde in omnium mortalium oculos incedere potuisset. Quam ardenti studio illa legatione fungebantur! quanta celeritate latissimas provincias, longeque disjunctas regiones peragrarunt! Bartholomaeus et Thomas utramque Indiam, ultra citraque Gangem fluvium: Andreas Syriam: Matthaeus Aethiopiam: Iacobus Hispaniam: Philippus Scythiam non modo viderunt, sed in tenebris et in umbra mortis positas luce evangelicae praedicationis illustrarunt. Et duodecim homines ignobiles et indocti, cum totum pene orbem Christi nomine et evangelio complevisset, de tyrannis, de daemonibus, de statuis deorum, de philosophis parta victoria, cum omnia ferme mundi propugnacula et arces occupavissent, in illis crucis vexillum sustulerunt. Et ut interim reliquas omnes gentes atque nationes praetermittamus, quarum cervicibus apostoli Christi jugum imposuerunt: quod potuit esse praeclarius atque illustrius apostolicae gloriae monumentum, quam gentem illam togatam, ad gloriam natam sempiternam, Romanos, inquam, rerum dominos, qui triumphis clari, victoriis elati, gloria rerum gestarum illustres, suos imperatores et aris, et templis, et divinis honoribus dignos arbitrabantur: qui nihil nisi magnum, excelsum, gloriosumque redolebant: quibus quicquid immortalitatem non spirabat, vile et abjectum videbatur: in eam sententiam adduxisse, ut crederent in Christo fabri filio, ignobili, contempto, ex invidiosa gente nato, affecto mille contumeliis, et opprobriis, et demum tamquam scelerato, et improbo, inter duos latrones pendente, veram gloriam et laudem sitam esse: et jam Saturni, Iovis, Martis, ceterorumque deorum statuas, quibus illi suas victorias acceptas referebant, evertendas esse atque dissipandas: et illarum loco, crucem, quam veluti rem turpissimam aversabantur, tamquam signum salutis, et vexillum felicitatis esse collocandam?

Quid referam illorum in propaganda Christi gloria sollicitudinem? Petrus circumcisionis magister: Paulus Gentium doctor, omnes circuibant ecclesias, fratres invisabant, afflictos consolabantur, omnium saluti prospiciebant, cum philosophis congredebantur, alios in Christi fidem pertrahabant, illos confirmabant, absentes epistolis, praesentes concionibus adhortabantur. Paulus omnium ecclesiarum (2. Cor. 11.) sollicitudine premebatur, in Petri humeros moles totius Christiani orbis immensa inclinata recidebat, et eo Christi amore conflagrabat, ut leve hoc tantum illi pondus videretur. Omnes denique apostoli egentes, afflicti, calamitosi, expositi omnium malorum telis, quasi fortunae ludibria, caesi, verberati, contusi, indicta causa condemnati, bestiis objecti, dilacerati, in ipsa tamen positi tyrannicae crudelitatis carnificina et vitia acriter inerepabant, Christum praedi-

cabant confidenter, et ipsosmet carnifices saepe etiam in Christi leges pertrahebant, et non modo illatas contumelias alacri et infracto animo perferebant, sed etiam ultro se ipsis injuriis objiciebant, quod in illis Christi gloriam latere arbitrarentur: ut mihi quidem apostoli non modo inferendis pro Christo contumeliis, sed in exoptandis ambitiosi fuisse videantur.

O vere pontifices Christiani, o vera et clarissima mundi lumina, hoc est esse lucem, sanctissimi patres, non perpeti errorum tenebris mentes hominum occupari: illud est esse salem, vulnera etiam cum aliquo doloris sensu sanare: est enim salis proprium, acerbitem quamdam, et veluti morsum doloris vulneribus inferre, hoc est, symbolum evangelicae et apostolicae libertatis, qua una virtute nihil est in ecclesiasticis pastoribus illustrius, nihil magis necessarium. Sic enim affectos et animatos esse oportet Christi ministros, ut etiam si principum gratiam exulcerandam, etiam si potentissimorum hominum animos exacerbandos, et illorum contra se potentiam concitandam et armandam, etiam si districtos atque fulgentes tyrannorum gladios suis cervicibus imminere conspexerint: quod ratio jubet, quod dictat evangelium, quod praecipit Christus, quod illorum salus et ecclesiae dignitas postulat, sine metu et spe libere, audacterque loquantur: et medicorum peritissimos imitentur, qui dum aegri saluti prospiciunt, non modo acerbam aliquam medicinam vulneribus adhibere, sed ipsa etiam membra abscindere, urere et resecare soleant, ne dum in membra sunt nimium misericordes, in vitam ipsam crudeles, fuisse videantur.

Sed prohi dolor! ignoscite patres, si quid liberius dixerō, quam tanta hujus amplissimi loci et ordinis patiatur auctoritas, rigidam illam censoriamque virtutem, acerrimam peccatorum vindicem, fractam atque debilitatam: sanctissimum severitatis magisterium magna ex parte sublatum: ardorem illum apostolicum animorum si non penitus extinctum esse, magnopere tamen deferbuisse videmus: cum homines assentari vitiis, et honori suo servire decreverunt. Ferunt philosophum nescio quem, filio persuadere solitum, ne ad populum concionaretur: nam si vera dixeris (aiebat) populum hoste et inimicum es habiturus: si falsa, Deum. Quoties haec unica ratio multos egit transversos et ad has cautes et scopulos misere illorum constantiam allisit? Dicite mihi obsecro, patres sanctissimi, per Deum immortalem, si quispiam esset (fingamus enim esse ut melius rei indignitatem concipiamus) si esset aliquis tam demens, qui clamante Paulo, *si hominibus* (Galat. 1.) *placere, Christi servus non essem*, ipse totum suum studium ad conciliandam hominum gratiam benevolentiamque conferret: tam ambitiosus, qui dicente propheta, *Deus dissipat ossa eorum qui* (Psal 52. Ephes. 2.) *hominibus placent*: docente apostolo, *ne ad oculum serviamus*: ipse redditus assentator improbitatis, dignitatis aut gloriae cupiditate vellet in maximis hominum sceleribus connivere sine voce, sine mente, sine libertate: qui denique abjecta omni cura rerum caelestium, oculos in terram flectere, assentari vitiis, hominibus quam Deo, ambitioni quam Christo servire malisset: nonne et salis et lucis nomine indignum, et supplicio dignissimum judicaretis? O fallaces et inanissimas spes eorum hominum, qui sibi potius quam ecclesiae, honori suo quam Christi gloriae, suis potius rebus quam Christiani populi saluti consulere conantur: neque illas irati iudicis voces exhorrescunt, quibus illos Christus in die illo iudicii miserabili alloquetur. Si pastor et sponsus eras ecclesiae, cur oves errare, cur sponsam misere ab hostibus vexari permittebas? Si lux eras ecclesiae, cur latebras quaesisti? Si delitescere cupiebas, cur lumen esse voluisti? Si salis officio fungebaris, cur patiebaris terram putrescere? Si te huic oneri imparem intelligebas, cur tam ambitiosus? Si parem, cur tam negligens? nihil te nostrae leges, nihil pietas, nihil ecclesiae ruinae, nihil nostrorum apostolorum exempla, nihil hic dies formidabilis, nihil praemia, nihil supplicia poenaeque moverunt? O voces luctuosas et formidabiles, quid alii sentiant nescio, sed ego cum haec cogito, et animo exhorresco, et corpore contremisco.

Constantem ergo, erectum et libertate Spiritus armatum esse oportet ecclesiae pastorem hoc potissimum tempore quo nefarii et improbissimi homines evangelicam libertatem in occasionem carnis (reclamante Paulo) traduxerunt. Hac armati apostoli, nullis laboribus, neque tormentorum generibus parcendum duxerunt, ne ipsi aliorum sceleribus parcere viderentur. Hac etiam muniti martyres, liberas illas voces emittebant, quas nulla supplicia, nulli cruciatus intercludere aut cohibere potuerunt. Hac ceteri vestri ordinis sanctissimi homines se fortiter tyrannorum crudelitati opposuerunt, Athanasius, Augustinus, Chrysostomus: Ambrosius ille, qui Theodosium post editam miserrimam Thessalonicensium stragem, et cruentas innocenti sanguine manus, templum ingredi volentem manu apprehensum continuit, et illis verbis voceque repressit: Tunc iis consceleratis manibus sanctissimum Christi corpus contrectabis? tunc illum nefando isto et sacrilego ore exci-

pies? non patiar, non feram. Itaque non perterritus Ambrosius tanta illa Romani imperii majestate, non potentiam totius orbis finibus terminatam perhorrescens, non superbas illas aquilas, non lictores, non laureatos fasces reformidans, potentissimum imperatorem ad publicas lacrymas et poenitentiam adegit. O vere pontifex Christianus, cui Christi gloria, salute et vita carior fuit. O Hieronyme sanctissime, te enim appellare jam libet, unicum evangelicae libertatis exemplar, et in hujus tantae apostolicae gloriae vocare societatem: qui ex illo Bethleemitico diversorio, hominum sceleribus et haereticorum audaciae acerrimum bellum intulisti: quem neque mortis metus, neque vitae cupiditas, neque spes aliqua potuit coercere, quominus illa tua fulmina orationis a pectore illo amoris divini flammis incenso profecta, in omne genus improbitatis liberrime contorqueres. Sed quorsum haec? numquid vos haec ignorare putamus, quorum est incredibilis sapientia? Numquid non haec vos officia ecclesiae praestitisse censemus, qui tanto studio et ardore in ejus salutem incumbatis, usque adeo, ut mihi quidem curas, sollicitudines, summosque vestros labores consideranti, et huic vestrae dignitati et illi purpurae miserendam potius quam invidendum esse videatur? Numquid mentes vestras sapientissimas informandas, aut sanctissimas voluntates impellendas et animandas esse putamus?

Non sum tam demens, sanctissimi patres, ut haec non modo dicere, sed neque cogitare audeam: sed eo consilio a me factum est, ut cum vobis apostolici vestri muneris memoriam refricassem, et miserrimas ecclesiae plagas vestris oculis subjecissem illius miseriis et lacrymis ita commoveremini, ut potius mortem sustinendam, quam afflictam et calamitosam matrem, in tantis aerumnis, sine spe salutis deserendam arbitraremini. Nunc lucis splendore et salis acrimonia opus est, ut errorum tenebris et ecclesiae vulneribus medeamini: et quando vos non aliam ob causam divina bonitas, et sanctissimi pontificis voluntas et industria in hunc sacrosanctum locum coegit, quam ut ex hac specula tamquam ex altissimo Olympi montis vertice, perditas et profligatas Christianorum regiones contemplaremini, et illis remedium aliquod adhiberetis.

Convertite per Deum immortalem oculos, non dico jam in Asiam, quae quondam apostolorum praedicatione, et sanctissimorum hominum illustrata frequentia, nunc non modo tenebris sepulta acet, sed omnem luci aditum oclussit. Non in Africam tot martyrum et doctissimorum quondam virorum, nunc vero Sarracenorum multitudine refertam. Non in Graeciam, lumen olim Christianae religionis clarissimum, nunc vero in miseram Turcarum sevitutem redactam. Non in illam beatissimam regionem Hierosolymitanam, evangelii parentem, quam Christus Iesus sanctissimis suis pedibus trivit, et innocentissimo sanguine cruentavit, nunc, vero proh dolor, improbissimorum Turcarum sordidissimis pedibus conculcatam. Non denique in ceteras provincias jam diu ab hostibus occupatas, in quibus vix antiquae religionis obscura vestigia, divinae vero indignationis atque vindictae expressissima conspiciuntur: omittamus antiquas ecclesiae plagas, et obductas jam longo tempore cicatrices quae curari nequeunt: nolo vulnerari vestros animos veterum calamitatum recordatione: haec solum recentia vulnera, quae calidum adhuc sanguinem spirant, et sanari possunt, intuemini: in has (inquam) circumjacentes provincias oculos convertite, et hoc quod reliquum est afflictae Christianae religionis (quod est sane perexiguum) consilio atque sapientia vestra conservate: vel si id fieri jam non potest, nostris exigentibus peccatis, evangelicam puritatem toto pene jam orbe fugientem, et istud miserabile ecclesiae funus, luctu saltem et lacrymis prosequamur. Nulla etenim natio, nulla gens, nulla provincia, nullum tam parvum et exiguum oppidum, nulla jam ferme domus est, in quam non se pestis haec insinuaverit. Non modo in Germaniam (quae semper haereticum parens esse voluit) sed his superatis Alpibus, obscure serpens in Italiam, aperte vero in Galliam, Angliamque manavit. Et nisi extremus ille orbis angulus Hispania, Pyrenaeis montibus ita natura munitus, ut in eum sicuti hostium arma, sic etiam haereticorum dogmata aegre unquam hactenus penetrarunt: nisi, inquam, catholici et invictissimi regis [Philipi studio, et incredibili censorum fidei diligentia septus fuisset atque firmatus, haud dubie communi jam totius Christiani orbis incendio conflagrasset.

Ubique oppugnatur religio, loco pellitur, non jam obscure serpit cancer, sed aperte grassatur, cum lacte suguntur haereses, majores in dies sumit vires incendium, longius quotidie proditur: gemit ecclesia, suspirant ejus filii, et tyrannide haeresum oppressi lugent: hostes triumphant, et non modo libere sed impune vagantur, et quod est acerbius, in nostras jam miserias insultant: non unus furit Hercules, sed Arios, Macedonios, Nestorios, (*Eutychianos.*) Lusianos, furias denique omnes Cerberus videtur evomuisse, qui Christianam religionem misere vastent, incen-

dant et populentur. Et in tantis malis flere possumus, subvenire non possumus, et unicum remedium lacrymarum, non sanandis, sed abluendis, aut potius exulcerandis ecclesiae vulneribus adhibere. O saeculum luctuosum, et infelicissimum!

Querebatur quondam divus Hieronymus, Arium parvam scintillam, quia principio non fuisset extincta, totum postea ferme orbem fuisse depopulatam: quid si nunc omnia funestis flammis ardere atque vastari videret? quid si augustissima templa in cinerem versa, dirutas aras, delubra tabulis, signis, et simulacris omnibus nudata, pontificum, conciliorum, et ipsius naturae jura reseissa, violatas pudicitiae leges, ad omnem iniquitatem fenestram patefactam? Quid si multitudinem immensam duci captivam, et Christi sanguine expiatam turpissimo haeresum coeno volutari? quid si ecclesiam jactatam injuriis, spoliatam dignitate, orbatam liberis, oppressam acerrimo bello: quid denique, si ipsos jam haereticorum gladios, filiorum sanguine stillantes videret? quid sentiret? quid diceret? quo animo et quibus oculis hanc tantam ecclesiae cladem aspiceret? Quid si nosset ex altera scintilla, ex homine inquam improbissimo, quem humilitas fortunae, vitae institutum, contemptibilem potius quam formidabilem efficiebant, hanc tantam flammam exarsisse? Quid si ab hoc homine improbissimo, sanctissimum Christi vicarium, cujus ille acerrimus assertor extitisset, contumeliis dilaceratum videret? et tanto illum apostolicae sedis odio conflagrasse, ut aperte diceret se optare Christum e nostris altaribus delere, ut pontificis auctoritatem vel infringeret, vel debilitaret, qui saepe et sacerdos ipse et monachus circumstantes filios digito amicis ostendens, se illos leunculos adversum Romanum pontificem armare diceret: qui denique illud intestinum odium ad extremum usque halitum et spiritum reservavit, et se pestem (dum viveret) pontificis, mortuum vero, mortem futurum, nefario illo et sacrilego ore clamaret? O impiam, sceleratam, et sacrilegam vocem, et illo dignam pectore, quod multo jam antea daemon occupaverat. Utinam prius eo fulmine ictus, quo fuit aliquando perterritus, concidisset: utinam prius sacrilegam animam, quam illam sceleratam vocem: nefarium illum prius spiritum, quam teterrimam hanc nobis haeresum sentinam, exhalasset.

Quid si nesceret hominem illum (si homo, et non potius monstrum est appellandus) qui tantum malorum hominibus invexit, nefarios illos spiritus sacramentarios, et anabaptistas eruclasse, qui more regis Achab veritatem e medio tollere, et omnia turpissimis (3. Reg. 21.) erroribus et libidinibus implere conarentur. Erinnyes praeterea, quae pacem ecclesiae turbarent, quae quasi furiarum ardentibus taedis, hominum pectora in mutuum odium et caedes inflammarent: et illa dissidia sererent, quae parentes et liberos, fratres et sorores, una jam domo, communibus parietibus et laribus, non modo frui pacifico, sed neque contineri paterentur? Quid cogitaret? quid faceret? exclamasset utique meo iudicio! o mores! o tempora! o miseram ecclesiam Christianam! et illud sanctissimum Hieronymi pectus exarsisset primum ita et stomacho: stylum deinde arripisset, quo tot quondam haereticos prostravit, et in adversarios vibrantem illum et ardentem contorsisset.

Sed cum se nihili hac via aut parum proficere videret, agnoscens divinam hanc esse animadversionem, et supplicium nostris peccatis debitum, supplex ad divinam misericordiam clementiamque confugeret: et suas etiam cum nostris lacrymas permisceret: in quibus sane omnem nostram spem, sicuti aliquando hoc in loco dicebam, imprimis video esse collocandam: quas ego, cum praesentem statum ecclesiae considero, continere non possum: et saepe mihi Hieremiae venit in mentem, quem nunc videre videor, sordidatum, cinere conspersum, moerore confectum, lacrymis perfusum, non jam in antiquam illam Hierosolimam, sed in nostram ecclesiam, defixis atque intentis prophetae mentis oculis, lugubri et moesta voce, ejus (*Thren.* 10.) excidium, orbitatemque lugere. Usque adeo, ut mihi quidem ejus luctuosa carmina legenti, non tam ille direptam Hierosolimam, quam vastatam ecclesiam: non tam eversos lapides sanctuarii, quam prostratas Christianas aras: non tam virgines et juvenes, quam Christianorum animos captivos abduci: non denique veteris Sion, sed ecclesiae nostrae vulnera: non illius, sed hujus saeculi miserias fuisse lamentatum: illasque suas acerbissimas lacrymas non suis, sed nostris miserrimis temporibus impendisse videatur. O conditionem nostri saeculi calamitosam, quod tantum scelus admisit populus Christianus, pater caelestis, ut tam severam fuerit expertus animadversionem. Quae tanta peccatorum nostrorum colluvies divinos tuos oculos potuit offendere, ut in tam deploratam et miserrimam sortem fuerit praecipitatus. Non satis erat tuam ecclesiam Turcarum armis misere vexari, et affligi, nisi etiam ex illius visceribus filii essent exorti qui afflictam et miseram matrem, novis ipsi aerumnis calamitatibusque vexarent? Non satis erat illam antiquis suis sedibus ab hostibus pulsam misere fuisse, nisi hic etiam

exiguus qui restabat angulus, crudeliter eriperetur? Nunquid domine (*Psal.* 79.) vineam quam de Ægypto transtulisti, cujus dux itineris fuisti, et plantasti radices ejus, quae terram implebat, quae pacis et virentibus ramis operuit montes umbra, et arbusta ejus cedros Dei, quae extendebat palmites suos usque ad mare, et usque ad flumina propagines, nunc ab apro sylvestri et crudelissima fera vastari, templum ejus sanctissimum pollui, filiorum sanguinem, tamquam (*Psal.* 78.) aquam, circa Hierusalem effundi patieris? Quousque domine excandescet furor tuus populum istum? Quousque irasceris, et accendetur velut ignis indignatio tua? *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, convertere, et respice de caelo, et visita vineam istam, et perfice eam quam plantavit dextera tua.* Vide afflictionem sponsae, quam non est qui consoletur nisi tu Deus noster. Ignosce domine, et parce populo Christiano, cujus causa neque filio tuo carissimo pepercisti. Miserere ruentis ecclesiae, cui tua solum bonitas et sapientia opitulari potest.

Sed complicemus jam orationis vela, quae dum sublata doloris aura, per hoc immensum lacrymarum pelagus excurrit, nullum jam prope locum divi Hieronymi laudibus videretur reliquisse: ut aut illae silentio praetermittendae, aut patientia et bonitate vestra abutendum nobis esse videatur. Ignosce Hieronyme sanctissime si dum ecclesiae acerbissimas refero calamitates, et tui oblitus fuisse videar, et hujus diei laetitiam illarum luctu et lamentatione turbasse. Doleo sane te in hac luctuosa tempora incidisse, et immensam illam tuarum virtutum sylvam, quam nulla ingenii et eloquentiae vis (praeter tuam) non modo exornare, sed neque recensere possit, in tantas ingenii orationisque nostrae, et brevissimi temporis angustias esse conjectam. Sed quid ego doleam cum tu in ipso Dei gremio et verae gloriae sinu extra omnem invidiae aleam positus, securus et immortalis conquiescas? qui mortalium laudibus non indigeas? quas nobis tacentibus tuae virtutis atque sapientiae clarissima monumenta, caelum et terra, homines et angeli, praeterita denique saecula celebrabunt, et futura admirabuntur. Te enim finxit natura, ut esses omnibus saeculis et exemplo et admirationi: te divina bonitas, quae Abrahamum fide, Enoch vitae puritate, mansuetudine Mosem, sapientia Solomonem, intelligentia Daniele, Heliam zelo, pietate Davidem exornavit: te inquam, quem et sibi gloriae, et ecclesiae Christianae praesidio et ornamento esse voluit, iis omnibus virtutibus cumulavit.

Neque vero mirandum est, sanctissimi patres, in vastissimum illud et capacissimum Hieronymi pectus, in quo tot disciplinarum cognitio, linguarum notitia, sanctarum scripturarum scientia, haereticorum perniciēs, ecclesiae salus, Christus denique ipse totus continebatur, eorum etiam virtutum omnium confluisse: ut mihi quidem, quem omnium vitiorum acerrimum hostem divina sapientia fingebat, illum etiam robore, et maximarum virtutum praesidio armasse videatur. Hunc veluti facem ardentem in ecclesiae monte collocavit, quae tenebras dissiparet errorum, et studio virtutis Christianorum animos incenderet. Hic docuit, sanctissimi patres, honores, dignitates, insidias, inimicitias hominum, pro ecclesiae salute, et Christi gloria esse contemnendas. Hic docuit saeculi blanditias, tamquam Sirenum cantus esse fugiendas, et per summos labores, per exilia, et solitudines, caelum esse quaerendum. Testes sunt illa saxa, et scopuli Mesopotamiae, quos ille saepe lacrymis dolore peccatorum expressis implevit. Testes sunt antra et exesae rupes, quae deformatis, defessis, et defatigatis illius membris, durum cubile et asperum exhibuerunt. Testes sunt ferae ipsae, quae saepe illius gemitibus et suspiriis misericordia motae fremuerunt. Testes sunt cilicia, verbera, jejunia, lacrymae, quae non modo illius membra pallida atque deformia, sed emortua prope reddiderunt. Testis est ille secessus et solitudo, quae inter Syros et Agarenos vastum limitem ducit, in qua secum congressus, et diu cum suis cupiditatibus luctatus clarissimam de se victoriam reportavit: in qua solus cum Christo solo vivere assuevit, et ante illud tribunal saepe prostratus se reum agnoscebat, et suorum se scelerum vindicem actoremque praestabat. Testis est illa ingens hominum et feminarum multitudo, quam ille et exemplo suo, et literis ad poenitentiam agendam provocavit. Incredibilis vero et inaudita sapientiae testes sunt illa Romana gymnasia, quae prima illi disciplinarum incunabula cum summa ejus ingenii admiratione tribuerunt. Testis est Gallia, Germania, Dalmatia, Ægyptus, Arabia, Chaldaea, et reliquae provinciae, quas ille perdiscendi gratia (Pythagoram et Platonem imitatus) peragravit. Testis est ipsa Graecia, quae cum praese ceteras nationes tamquam barbaras contemneret et aspernaretur, illius divinam eloquentiam admirata, ejus libros in maternam linguam vertendos curavit, ne tanti hominis monumentis carere videretur. Itaque Graeciam Latinis literis: Latium Graecis, Hebraeis, atque Chaldaeis Hieronymus illustravit. Testis demum est illustris ille labor, quo ecclesiam Christianam, variis atque diversis sanctarum scripturarum translationi-

bus scissam atque dissipatam, ad unitatem atque concordiam revocavit: ut ipso Augustino teste, Hieronymus ecclesiam aedificasse iterum diceretur.

Extremus denique istarum maximarum virtutum et gloriae testis locupletissimus est, illud Bethleemicum praesepe, quod ille (cum jam ejus os sanctissimum et sapientia et eloquentia canesceret) ultimo vitae tempore, et quasi extremae senectuti consecravit: unde clarissimam ille lucem in totum orbem diffundebat; unde haereticos vehementer exagitabat: unde ecclesiam tuebatur, in quem locum ex omnibus provinciis atque nationibus, tamquam ad Christianum oraculum homines confluebant, ut sanctissimi hominis conspectu, et sapientia, et extrema illa atque cygnea divini pastoris voce fruerentur. O vir sanctissime, sydus ecclesiae clarissimum, apostolorum imitator, salis et lucis nomine, caelo, et immortalis gloria dignissime. Felix et beata ecclesia Christiana, quae tantum in terra patronum, advocatum in caelo fuerit adeptam. Felix Bethleemicum domicilium, quod et Christi natali die, et Hieronymi sepulcro gloriari potest: quod Christum nascentem mundo, et Hieronymum caelo conspexisti. Ut unde exoriens Sol ille justitiae in mortalium processit conspectum, inde Hieronymus occidens, ex iis tenebris in illam sempiternam lucem, in beatorum consortium et felicitatem evolaret.

Hunc nobis hodierno die non modo celebrandum, sed imitandum proponit: quo nullum nobis aliud vel illustrius exemplum, vel iis temporibus magis accommodatum exhibere potuisset: cujus vestigia, qui nunc ecclesiam salvam et incolumem esse cupimus, sequi debeamus. Nam qui eam alia ratione quam fuis precibus et supplicationibus juvare non possumus, et nullum illi aliud quam lacrymarum patrocinium exhibere, hujus viri sanctissimi lacrymas illas acerbis, et e caelo semper pendentem animum ante oculos proponamus. Illi vero quibus ingenium, eruditionem, sanctarum scripturarum intelligentiam, disciplinarum et antiquitatis notitiam, stylum, copiam, et facultatem ad scribendum aptam divina bonitas largita est; hunc ducem sequantur, qui tamquam fax quaedam et fulmen haereticorum, veluti quondam Jupiter gigantes, sic ille haereticos eloquentiae divinae fulminibus percussit, extinxit, atque prostravit. Quos ego et oro, et hortor, et obtestor, ut haec caelestia munera sibi ad salutem, et ornamentum ecclesiae tributa ad arcendos et propulsandos illius hostes, ad tuendam ejus dignitatem conferant, quod eo ardentius et confidentius illis faciendum est, quod doctissimorum hominum sapientissimis scriptis effectum esse videamus, ut plerique adversariorum nostrorum victi atque superati, et sanctissimas Christiani jejunii leges, et pietatis opera, ad obtinendam innocentiam necessaria, et patrum traditiones, et conciliorum auctoritatem, vel inviti atque reluctantes agnoscant.

Nunc vero duo sunt, quae ab illis acerrime oppugnantur, sacrosanctum videlicet missae sacrificium, divini erga nos amoris pignus, salutis precium, hostia incruenta, mortuorum praesidium, vivorum felicitas, uberrimus bonorum omnium fons, a Christo institutum, ab apostolis celebratum, a patribus, conciliis, ab universo Christiano orbe, tam longa seculorum serie receptum, et nuper a vobis, gravissimi patres, sanctissimis decretis confirmatum. Tum vero sedes illa apostolica Romana, quam vel ipsi antiqui ecclesiae hostes summa veneratione jam inde ab ipso apostolorum principe Petro continua pontificum successione deductam, tamquam ceterarum omnium ecclesiarum principem et moderatricem prosequerentur: in hanc igitur unam curam et cogitationem de conservando divino sacrificio, quod illi extirpare: de asserenda sede Romana, quam illi evertere et funditus delere conantur, incumbite: ad sustentandam unicam illam et firmissimam ecclesiae columnam, omnes ingenii vires adhibete: quam qui erectam et firmam esse cupit, salvam esse cupit ecclesiam: illa etenim collapsa, ruet totum ecclesiasticum aedificium: illa extincta splendidissima face, omnia haeresum et errorum tenebris occupabuntur: quae non aliunde natae sunt, quam quod sacerdoti Dei (ut dixit Cyprianus) non obtemperatur: illa occidente, occumbet simul Christiana religio, adeo ut mihi quidem cum illius funere miserabile etiam ecclesiae funus convectum esse videatur. Nihil est quod adversarii majori odio prosequantur, et majori rabie insectentur: sed nihil mirum, nefarium illum et improbissimum magistrum atque ducem imitantur: quo majori studio et animi contentione elaborandum est, ut quod illi ad affligendam magnopere religionem e medio tollere conantur, nos illud unum ad eam firmandam stabiliendamque fulciamus.

Vos vero, sanctissimi patres, acerrimum hunc ecclesiae patronum, clarissimum ecclesiae lumen, firmissimum fidei religionisque praesidium, pestem et exitium haereticorum ante oculos proponite, et non modo factorum, sed vestrarum etiam cogitationum et advocatum invocate, et consultorem adhibete, si modo labefactae et afflictae religioni optatis remedium aliquod adhibere. Quod sane

non jam ego, sed ipsa moesta atque lugubris ecclesia vestris genibus provoluta, per suas quas fundit lacrymas, per vestram fidem, per Christi crucem et sanguinem obtestatur, ut ejus ruinis et miseriis commoveamini, ne miseram deseratis, ne quam nunc exiguam et afflictam habetis, auxilio vestro destitutam nullam deinceps habeatis, ut si minus amissam omnem dignitatem non possit recuperare, habeat saltem vestro beneficio munitam aliquam sedem et domicilium, in quo emergens e tantis aerumnis, sine metu hostium libera respirare, et secunda possit conquirere. Nam nunc quo se recipiet, ubi non hostium insidias pertimescat? Num in Germaniam, unde saepe cum dedecore pulsa est? Nunquid in Angliam, ubi oppressa tyrannide, in publicum prodire non audeat? Nunquid in Galliam, ubi filios suos se mutuis vulneribus conficientes videat? Nunquid in reliquas provincias, in quibus et occultos domesticos hostes, et externos etiam reformidet? Omnia illi suspecta, omnia misera, omnia calamitosa et acerba sunt, nisi per vos, sanctissimi patres, pace composita lux tenebris, fides populis, Christo gloria, ecclesiae dignitas et tranquillitas restituantur.

Nisi rem felicissime coepta ad felicem etiam exitum perducatis, magna sunt quae hactenus praestitistis, sed longe majora restant: nunc sordes abluendae, nunc omnis turpitudine removenda, nunc facies illi pristina revocanda, nunc pulchritudo restituenda, nunc notandi hostes, et extrema rebus omnibus manus imponenda est. Ultimus restat hujus concilii actus, in quo declarabitis, sanctissimi patres, nunquid sinetis miseram et afflictam sponsam (quod Deus avertat) perpetuo lugere, aut potius sapientia et virtute vestra recreatam, quod futurum spero, ex hoc loco praeteritae calamitatis solatium, et spem futurae salutis certissimam reportare? Spiritus ille caelestis, hujus sanctissimi loci custos et moderator, qui mentes vestras sanctissimas et sapientissimas splendore divini luminis illustrat, bonitate fovet, sapientia regit et moderatur, efficiat ut sapientia, consilio, et virtute vestra divina, curatis ecclesiae vulneribus, adstersis illius et sordibus et lacrymis, restituta veteri disciplina, hostibus ad suavissimum Christi et Romanae sedis jugum adductis, revocata denique pristina concordia et unitate, laeti omnes dulcissimum illud Paeana (Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum) in Christi gloriam, laudemque canamus. Cui sit laus, honore gloriaque sempiterna. Amen.

XIII.

SERMON PREDICADO POR EL RDO. P. FR. FRANCISCO ORANTES, DE CUELLAR,

RELIGIOSO FRANCISCANO, TEÓLOGO DEL OBISPO DE PALENCIA DON CRISTOBAL VALTODANO, DESPUES OBISPO DE OVIEDO Y CONFESOR DE DON JUAN DE AUSTRIA, ANTE EL SACROSANTO Y ECUMÉNICO CONCILIO DE TRENTO, EL DIA DE TODOS SANTOS, AÑO 1562.

Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam, et sancti tui exultent. Psalm. 131. Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam. Matth. cap. 5.

Fateor equidem, illustrissimi cardinales, qui domini nostri Pii quarti, patris omnium, locum tenetis, et personam sustinetis, oratores maximi, vos qui imperii majestatem, celsitudinemque regiam nobis praesentia refertis, generis splendore, ac rebus per vos bene gestis et ipsi clarissimi, antistites literatissimi, qui ad orbis totius Christiani clavum et gubernacula lectissimi sedetis: magistri doctissimi, fateor ad dicendum de caelesti hac, et pene divina justitia diem hunc Deo, justisque omnibus sacrum, satis nobis conligisse opportunum. Mire sane oraculum Davidicum de sacerdotum justitia, et sanctorum exultatione ad rectitudinem evangelicis mentibus asservatam quadrat, quamdiu mortales vixerunt, et ad supremam illam suam felicitatem, quam ipsis incredibili laetitia, ingentique animorum exultatione non Christianus orbis tantum, sed et angelicae mentes voce dulcisona alternis dicentes, hodierno die jucundissime gratulantur. Hos cum audit ecclesia mater caelestes suos dedisse cantus non potest (angustiis quamlibet undique pressa) non illis congaudere: imo vero incredibili correpta gaudio, apostro-

phæ pulera usa, nunc nos filios suos, nunc ipsos alloquitur beatos. O filii, vita hæc nostra, quam a dulci patria exules nos vivimus, vere lacrymis et suspiriis debetur tota. At postquam dies hic sanctorum clarus gloria, ipsis etiam supremis ordinibus festivior habetur, tantam nos eorum lætitiæ congratulatione nostra expectatissima illis sane cumulemus. Quare o *justi exultate* (Psal. 15) *in domino*, quibus et sors cecidit in præclaris, et hereditas præclara est vobis. Spesque eadem et nobis, qui miserae nostræ peregrinationis pertaesi ingemiscimus, interim dum (*Hebr. 4.*) nostra jacitur nobis alea, multos facit animos, ut in istam dignitatem suspiremus, et festinemus in istam requiem ingredi. Convenit etiam Davidicus psalmus summe et cum esurie, et siti justitiæ evangelicæ.

Novi siquidem testamenti mediator, quemadmodum vel Mattheo referente didicimus, cum videret (*Mat. 5.*) turbam in dies magis ac magis increbrescere, montem subit non legem accepturus, sed cælestes ipse magis explicaturus Sienos, quos nunquam hominum oculus viderat. Monte igitur conscenso, cælestis philosophiæ doctorem agere coepit: ipsa loci celsitudine declarans, se nihil plebeium traditurum et humile, sed ardua, cælestiaque omnia, et quæ attentum auditorem requirerent. Aderant proximi sancti apostoli, in pulcerrimæ coronæ modum circumcingentes magistrum, paulo mox legati a latere creandi, et qui novas has mercedes in orbem universum inveherent, et evangelicæ doctrinæ nondum audita dogmata nobis depromerent, plurimum abhorrentia ab opinione eorum, qui mundo videntur admodum sapere. Aperuit os suum (*1. ad Cor. 10.*) stultam faciens, et inefficacem convincens mundi hujus sapientiam, ut quæ verbum hoc beatitudinis nostræ vel olfecisse non potuerit. Certe vel hic unus Matthæi locus, ubi Christiana justitia nobis explicatur, persuadere potest, multa cælestem legislatorem nostrum orbi ostendisse, quæ omnino nova, et supra hominum opinionem dicta esse videantur.

Initium a beatitudine orationi suæ dedit: noverat porro ille qui finxit sigillatim corda nostra, et qui intelligit (*Psal. 52*) omnia opera nostra, nulla re hominum mentes præ beatitudine affici. Huc omnium vota tendunt, huic nostra omnia nuncupamus. In beatitudinem demum nimia cupiditate propendemus. *Beati, inquit, pauperes, beati qui lugent, beati qui esuriunt.* O rem miram, patres amplissimi! Qui sibi ista coherant? Quid illi beatæ vitæ omnibus divitiis absolutæ commune et miseriæ ac paupertati? Quid illi exultationi, quæ sic beatorum animos felicissime complebit, et oculorum lacrymis? Quid illi perfectæ (*Psal. 16.*) felicitati, et luctui? Quid habet commune sanctorum illa satiætas, apparente Dei gloria, cum esurie, et siti? Demum nihil minus videbitur beatitudo, si superficiem attendas quam quæ a Christo hic describitur nisi quod studuit mirabilis hic in legislatoribus, fidei nostræ auctor et consummator, omnes naturæ nostræ cupiditates, inania, vanaque hominum commenta, hæc sua oratione evertere: dum docet his, quæ mundus vel nominare horret mercedis subesse plurimum, nimiumque pretii in eis delitescere: ut quæ in sanctorum exultationem, justorum operibus ex fide et gratia procedentibus, æterno Dei foedere debitam, certissimæ viæ sint.

Est porro hæc ipsa loquendi phrasis Dei filio non semel aut iterum, sed sæpe familiaris: *hæc inquit* (alibi patrem alloquens) *est vita* (*Ioan. 17.*) *æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum filium tuum:* quæ sane verba non modo claræ illi visioni, quæ sanctos (*1. Ioan. 3.*) Dei manet, quando videbunt eum siculi est, congrue quis accommodaverit: verum, si ad fidei cognitionem evangelica prædicatione expressam de Deo et Christo ejus referre velit, ut quod hæc in illam certa sit via, Paulum sanctissimum videbitur imitatus, qui ait: *Nos vero* (*2 ad Cor. 3.*) *omnes revelata facie, gloriam domini specularantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a domini spiritu.* Sunt igitur beatitudines evangelicæ istæ, non quod hic status, absit, sed quibus finis acquiritur. Paulus etiam universo Christiano negotio in spem concluso, sanctorum pressuras, quas evangelicus sermo felicissimo nomine hic donat, non immortales (*2. ad Cor. 4.*) spes, non perpetuas afflictiones, non sine fine mala vel suspicari nos sinit: sed contra leves et momentaneas, et quæ secundum excellentiam æternum gloriæ pondus operantur in nobis. Ut vel hæc ratione beatitudo sit ea, quæ vel uno momento suprema felicitate complebitur. Quod enim parum distat, pro minimo reputatur. Novæ igitur et cælestis structuræ divinus hic architectus, qui pro ecclesiæ suæ construenda fabrica, noctem tamquam diem transigebat, sublimes aedificationi, quæ cælos pertingeret, humilitatem, modestiam, animi prosternationem, et spiritus paupertatem, convenientissimum fundamentum jecit.

Primus ille terræ filius Adam, cum Dei beneficentiâ summis ornamentis esset insignitus, cum in summum honoris fastigium eVectus esset, denique cum divitiis divinæ gratiæ afflueret, manere poterat in suo gradu: siquidem hominem altius quam licebat, et quam fas erat, non extulisset ambi-

tio. At satanae illecebris captus, contempta veritate, miser ad mendacium deflexit. Et qui spiritu pauper esse noluit, ob superbiam, quam omnium malorum initium vocat Augustinus, ab eximia gloria, in extremam ignominiam deturbatus est. Paulus etiam (2. ad Tim. 3.) sanctissimus, cum malorum chiliadem enumerare vellet, amorem sui atque elationem vitia cum spiritu paupertate ex diametro bellantia, ante omnia praemisit. Hinc inanis illa haeticorum hominum orta est gloriae cupiditas. Hinc ipsorum temeritas, eo iniquitalis progressa, ut non regiae viae et antiquae peritae tantum quaerant devia; verum etiam ore plusquam sacrilego caelum attingentes, ipsas scripturas sacras, si semel intellexerint, ob clarissimum ipsarum testimonium nullam pati adulterinam expositionem, mox pervertunt, deturpant, luxant, radunt, et in frustra immanissime secant. Et (ut semel omnia dicam) spiritus elatio, auctore Augustino, non nisi Dei contemptu terminatur. Totius ergo boni initium, sanctissimi domini, humilitas est: et totius mali, superbia. Denique et perditionis initium a superbia exit per diabolum: at salutis initium ab humilitate per Christum. Propterea convenienter et omnium beatitudinum humilitatem constituit principium quo loco diligenti consideratione observemus non dictum, Beati humiles spiritu, sed pauperes egeni et mendici, ut semper Dei adjutorium mendicent. Unde in Graeco, Beati egeni, vel (*Chrys super Matt. cap. 5.*) beati mendici: nam pauper quidem est, qui angustiam habet, non autem tantam, ut mendicare cogatur. At vero hic: beati, inquit, mendici spiritu, ut in multa necessitate humiles ostendat. Si ergo dixisset, beati humiles spiritu, nihil amplius significasset, quam humiles: nunc autem et pauperes, et secundum spiritum pauperes, intelligentes per fidem, unde sit, ac dimanet adjutorium hominis. Vides ergo, non quamcumque humilitatem, evangelicam beatitudinem esse, sed eam, quae ex humilitate nascitur, spiritus paupertatem, et indigentiam. Qui enim juxta evangelii fidem humiles sunt spiritu, pauperes, et mendici, non ex natura, sed ex fide pauperes, dum nimis timent de se, adjutorium Dei pulsare non cessant.

Beati qui lugent: haec vestra beatitudo est, pastores observandissimi, qui doctores estis, qui et supra montem estis: qui enim sua peccata lugent, beati illi sane, sed mediocres beati: beatiore vero qui aliena lugent peccata: tales vos esse convenit. Nam cum silis omnes populi Christiani patres, quomodo lugere non poteritis? cum quotidie Christianorum animas usque ad infernum cadentes, e vestris manibus elapsas videatis? Angelis porro, quibus ut signent Dei servos demandatur cura, dictum legimus: *Ite* (Ezech. 9. 4. ad Timo. 3.) *per Hierusalem, et signate omnes qui lugent super iniquitates, quae sunt in medio Hierusalem.* Ea sane vera est ecclesia Christi, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis. *Beati mites:* et mansueti, adversum quos neque praevalere potest peccatum, neque adversum alterum aliquando ex illis peccandi occasio nascetur: sed student magis injuriam pati quam facere. *Beati qui* (Psal. 84.) *esuriunt et sitiunt justitiam:* qui nihil aliud quaerunt, quam ut a culpa purgati, tam ipsi quam alii crescant in gratia: et plus patriae quotidie appropinquent per desideria fervida: desiderantes secundum Dei justitiam conversari. *Beati misericordes:* qui non pauperi aut pupillo miserentur tantum, verum mimico proprio, beneficientes ei: hic enim beatus fiducialiter adjiciet, dimitte mihi debita mea domine, sicut et ego dimitto debitoribus meis. *Beati mundo corde:* qui non solum non faciunt malum, nec cogitant: sed adhuc etiam qui omne bonum et faciunt semper et cogitant. *Beati* (Matth. 6.) *pacifici.* Pax est unigenitus Deus, de quo dicit apostolus: *Ipse enim* (ad Eph. 2.) *est pax nostra,* qui ergo pacem diligunt, filii sunt pacis. In hanc beatitudinem hortatur nos propheta regius, inquiens: *Cohibe linguam* (Psal. 33.) *tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum: inquire pacem: et persequere eam.* Demum octava evangelica beatitudo verae circumcisionis martyrio (ut eleganter exprimit Hieronymus) terminatur. *Beati,* inquit, *qui persecutionem patiuntur propter* (Hierony. in Matth. cap. 5.) *justitiam. Beati vos cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos: mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra multa est in caelis.*

Cui non hic libebit cum gentium magistro Paulo exclamare opportune? Ubi sapientes gentium (1. ad Corin. 1.) philosophi, apud quos summa erat sapientiae auctoritas? Ubi scriba Iudaeorum doctor, et (ut egregie interpretatur Cyrillus) grammaticus, grammaticae (*Cyri. in Paulum.*) professor, poetarum praelector et interpres? Ubi saeculi hujus inquisitor, altercansque disputator, qui suis rationibus et argutiis se omnia assecuturum credit, universaque opinionibus quibusdam permittit, et profundissima quaeque naturalibus investigationibus metitur? Ubi Plato alioqui doctissimus? Ubi Aristoteles sui saeculi et anima et princeps? quotus quisque nobis beatitudinem annuntiavit? quotusquisque erroribus miseros nos complicatos in lucem potuit asserere, caelesti libertate do-

nare, docere veritatem, vanas solvere praestigias, quibus illusi tenemur? quotusquisque oculorum lacrymas, paupertatem spiritus, et id genus cetera, aeternis delitiis, summaque et infinita tranquillitate consolatus est aliquando?

Agnoscat igitur, agnoscat caeca hominum libido, neque opibus, neque luxu, neque voluptate, sed magis his omnino contrariis, siti, esurie, suspiriis et lacrymis, in caeleste illud capitulum, beatissimumque senatorum conventum, ubi sit futura sanctis aeterna quies, ac gloria cum Deo perennis, tanto facilius ferri nos, quanto prioris generis rebus magis opprimimur. Dei nihilominus donum agnoscamus, qui et magnifice se nobis apparere fecit, et qua iremus ad ipsum, per prophetas olim, novissime per filium, qui inde venerat, quotidie praemonstrat. Ecce mundi excrementum et impiorum rejectamentum, abjecti et despicabiles homines, jure hereditario capient regnum, longe magnificentius omni regno mundi. *Ipsorum, inquit, est regnum caelorum*, ipsi possidebunt terram, consolabuntur, filii Dei vocabuntur, misericordiam consequentur, Deum videbunt: denique mercedem habebunt repositam in caelis.

O vere beatos et reges, quorum et nunc etiam magnificum regnum est nulli servire vitio, nullis obnoxium esse cupiditatibus, satanicas copias conculcare, mundum vicisse cum illis omnibus, quae nos terrent vel illectant. O vere beatos, qui visuros se domini bona in terra viventium credunt, et sperant, et quorum lacrymae divinis abstergentur manibus, nimia post lacrymationem et fletum exultatione perfundendos, quos et implebit altissimus laetitia cum vultu suo. Quid jam miramur, sanctos Dei homines curis vacuos, atque liberos, fretos Deo, fretos innocentia sua, fretos praemiis futuri saeculi, tranquillo pectore contemnere ea, quae nos maxime et suspicimus et amamus? Nonne regnum sperant obtinere longe pulcrius, ac longe isto magnificentius?

Verbum hoc Christi, sanctissimi domini, *Mercus vestra multa est in caelis*, quantos animos (immortalem Deum) evangelicis mentibus fecit! Verum quoniam si de his per singula dicere vellem, longum esset mihi ad omnia futurum iter, nimiumque oratio nostra erraret: Venio jam ad eam partem Davidici psalmi, et evangelii, quae de justitia esurienda et sitienda sacerdotibus sanctis est. Ad quam ut diligenter attendatis, etiam atque etiam a vobis, illustrissimi et reverendissimi domini, contendimus: est porro ea res huic loco, et his temporibus magnopere accommodata. Et o utinam pro justitia dicturo mihi coram amplissima oecumenica patrum corona, divinus ille spiritus assideat, quem scimus e citharoedo puero, (*Dan. 14. Ioan. 21. 2. Reg. 11. Amos. 1.*) psalmographum, quo nemo dixit divinius, repente inspirasse: e simplici et rudi pastore, qui nihil praeter sycomoros vellere didicisset, prophetam egregium creavisse: ex tenero vix puero, acerrimum senum censorem, admirandaque praeditum prudentia judicem constituisse: ex egeno et paupere piscatore, ecclesiae suae pastorem, et qui nunquam deficeret magistrum praefecisse: e rapace lupo (*Act. 9.*) mane rapiente escas immanissime, ad vesperum aguum pacatissimum (quod et nos omnes miramur) magnifice dividendum spolia, et qui spiritus hujus divini primitias haberet, insperato erexisse. Et ne infinita persequare, publicanum, qui nihil minus quam literas didicisset, vel hoc supercaelesti (*Matth. 8.*) spiritu auctore, evangelistae gloriam assequutum. Tantus ergo ac talis Spiritus nostris coeptis aspiret, ut justitiam quae terris pene relictis (semper reliquias cum Paulo excipio, quae secundum (*ad Ro. 11.*) electionem gratiae, salvae factae in Christi ecclesia nunquam deerunt) caelum unde fuisset semel exorta, regnatum perenniter cum sanctis videri posset conscendisse; eam vos, patres sanctissimi, vestra diligentia atque studio rursus inde ad nos homines revocetis.

Mira res est justitia, quam non qui possidet tantum, sed qui esurit, felix vel Dei testimonio habetur, nae supra (*Matth. 5.*) hominum aestimationem est: qua non qui fruitur solum, post pulverem et sanguinem, sed qui eam adhuc silit beatus. Est ea multiplex, sublimis, una, innata, undique perfecta, absoluta numeris infinitis, ut quae divina, hanc esurire, aut sitire praeter eum qui ipsam induit ab aeterno, cunctis religio, sed tantam mirari, adorare, venerarique datur. Est huic proxima altera non innata, aut sublimis quemadmodum prima illa: pura tamen et perfecta sanctorum, qui Deo fruuntur, rectitudo, nunquamque intermoritura justitia: quam esurimus, et sitimus (*Philip. 1.*) dum dissolvi, et esse cum Christo cupimus. Est tandem tertia non pura, nec perfecta, vera tamen et recta justitia, quae nostra est, haec theologicas amplexa virtutes, fidem, spem, et caritatem, vires animi universas Deo divinisque mandatis haerere facit: quas naturae divinae participes, ac Deiformes reddit. Quae omnia et si vera sunt, una tamen justitia est, quam esurire et sitire induendam sacerdotibus his qui primates habentur ecclesiae, longe beatissimum

gloriosissimumque fuerit. Est ea ejusdem (*Psal.* 92.) ecclesiae pax, religio, justitia, sanctitudo, quae Dei domum decet maxime. In ea enim consistit hujus actionis, ac proinde hujus negotii prora, puppisque, ut dicitur: et totius Christianis causae status et cardo vertitur. Et ut in amussim designatam intendamus, libet, patres beatissimi, si per lacrymas licet, ad eam nos ecclesiam convertere, quam a Christo capite, et ab apostolis omni justitia et pulcritudine ornatam accepimus.

Principio, ipsa animorum et judiciorum aequalitas, firmitate atque stabilitate sua, virtutem sequuta, huic ornatus plurimum et gratiae conferebat, nihil eam deformabat: cujus singulae partes sic in officio retinebantur, ut nihil de caelesti forma deicerent. Deinde, divinis haec erat munita legibus, quarum amore dum homines flagrant, magistratum pedibus, apostolorum scilicet advoluti, se suaque (*Actor.* 2.) omnia ipsis asservanda sacrant: firmissima fide statuentes apud se, futurum aliquando, ut redeat de caelis judex qui suarum legum rationem exactissimam ducat. Cujus illi adventum conscientia bona, fide integra, intentissimisque animis expectabant assidue, dies, noctesque Dei sui sitientes justitiam, majoribus observantiam, minoribus disciplinam, omnibus demum fraternam dilectionem praestabant. Denique domus tanta vel proletariis hominibus, et ex lapide (quemadmodum vulgo dicit solet) emptis pervia pateret, portae duae pro sacerdotibus illaesae stabant: vitae scilicet sine labe transactae puritas, et mysteriorum fidei nostrae cognitio certa, et clara, quae sese in gregem dominicum diffunderet copiosissime. Et ne nimius sim dum ex literis arcanis minutissima quaeque colligo, post principem pastorum et coronam Iesum, uno aut item altero exemplo divinae scripturae contentus, praeteribo.

Oportebat testem creari unum (*Act.* 1.) resurrectionis Christi quemadmodum Petro sanctissimo sacer Dei spiritus suggessit: eliguntur duo, quos non vitae sanctitas secernit, ut qui justii ambo, non alterum notat scientia (claruit siquidem caelesti cognitione uterque) forte divina dispares solum, digni ambo episcopatu. Rursum, credentium numerus in dies horasque augebatur magis, dux et ecclesiae princeps Petrus cum undecim, diaconos septem creat, sed quos? Audite. Considerate ex vobis viri fratres (vox sonuit apostolorum) viros boni (*Act.* 6.) testimonii septem: non libet neque licet apicem unum praeterire. Ecce portam unam, conscientiam bonam: plenos Spiritu sancto et sapientia, en alteram, ac tum commodissime sequitur; quos constituamus super hoc opus. Quid vos moror? Nullibi sanctissima Pauli anima morosior habebitur, quam cum sacerdotem et episcopum suis dotibus ornat. Et ne videretur tantus apostolus talem descripsisse pastorem, qualem Christi ecclesia tunc non haberet, neque spes erat ulla aliquando habituram: quemadmodum fecere plerique, perfecti oratoris ideam finientes solum: morti prope vicinus, se ipsum Asianis episcopis exemplum omnino sequendum objecit, atque ad imitandum proposuit. Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam (hanc vocem primam orationis Paulinae in episcoporum consensu novit multo melius plurima vestra lectio, patres literatissimi) qualiter vobiscum per omne tempus fuerim serviens Deo in humilitate, et lacrymis, et tribulationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Iudaeorum. Et ecce ego alligatus quidem spiritu vado in Hierusalem: quae mihi ibidem eventura sunt, ignorans: sed tantum Spiritus sanctus protestatur per omnes civitates dicens mihi: Quoniam tribulationes, et vincula me Hierosolymis manent: sed nihil horum vereor, neque facio animam meam pretiosiore quam me: dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a domino Iesu testificari evangelium Dei. Et ecce omnes vos mihi testes estis, quoniam nullius vestrum aurum, argentum, aut vestem concupiverim, sed ad ea quae mihi opus erant, et iis qui mecum sunt manus istae ministraverunt.

Miramini satis video, sanctissimi patres, ducis hujus Christiani exercitus nobilissimi plus quam beatam animam, pectus omnino evangelicum; mentem vere apostolicam, ab omnium cupiditate liberam prorsus: at consideratione pari precor observari quae de doctrina, porta altera structurae hujus caelestis, ibidem legimus, *Ego scio, inquit, quod post discessionem meam intrabunt in vos lupi rapaces, non parcetes gregi, et ex vobis ipsis consurgent viri loquentes perversa. Quare vigilate memoria retinentes semper, quoniam per triennium die ac nocte non cessavi cum lacrymis monere quemquam vestrum.* O pastorem eximium, quem non praesentium tantum, sed et futurorum malorum in gregem dominicum cura premebat. O vigilantem doctorem, quem neque dies, neque nox a doctrina repulit unquam. O divinum docendi genus quod lacrymae exornant: hos habebat ecclesia sacerdotes suos ad bella doctissimos, quorum doctrina, non scientia innixa solum, sed carnis mortificatione et cruce, mundum potuit Christo principi subjugare quaqua patet. Quo loco, obtestor vos exercitus nostri nobilissimi duces, docete me, si quando in principum annalibus, aut in ma-

gnorum regum historiis (quas etsi suus cuique selectus congerat auctor, nihil me premit) legeritis unquam, quod oves evicerint lupos? quod hi, qui circumibant, in melotis, in pellibus caprinis afflicti, pannosi, at apostolica (*Hebrae. 11.*) celsitudine maximi hi inquam sic gentium casta everterint, sic philosophorum potentissimorum ora obturarint? Amens sim, si tu aliquando vidisti pastorem alioqui prudentissimum, oves suas, quae unice amet, in ipsam luporum carnificinam mediam conjecisse: ut ne fuga quidem salutem consequerentur?

Dices: quis pastor hoc fecit? Respondeo, Christus sane. *Ecce ego (Mat. 10.) mitto vos (inquit) sicut oves in medio luporum.* Quemadmodum et scriptum legimus: *Propter (Rom. 8.) te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis: sed in his omnibus superamus* (victrix exultat Pauli anima) *propter eum qui dilexit nos: omnes nos, ecce domine, habiti sumus propter te, veluti oves destinatae (Psal. 84.) mactationi, omnibus objecti et expositi, sed tamen contra tot tantaque pericula, contra novas hasce tragoedias, haec una sufficiens, imo vero abundantior multo consolatio succurrit: neque enim propter homines, aut aliud fluxum quidpiam id patimur, sed propter te universarum rerum dominum. Fateor enim minime fieri posse, ut qui homines essent, ii infinitas mortes tolerarent. Verum vide ne hac quidem ratione apostolicis animis praemia esse imminuta. Mortificamur, inquit, tota die: nam ut natura sortiti id simus, semel tantum ut moriamur: tamen voluntate id quotidie perpeti, si id in animum induxerimus, dedit Deus. Unde liquet: ut cum tot hinc discesserint coronis, quot dies vixerint: imo vero multo pluribus. Sane post caelum ipsum promissum, post regnum supernum, post arcana bona: molles adhuc, segnes effici viros apostolicos, rem turpem arbitratur hic Paulus, facta eleganti collatione ad patres, qui sub prioribus repromissionibus vixere, terram laborum suorum praemium habentes, ii sane usque adeo tum vitam praesentem, tum tentationes et pericula despexerunt: quemadmodum ex introducto verbo prophetae colligimus, ut nullam nos veniam simus habituri, qui sub melioribus promissionibus vivimus, si ne ad parem quidem cum illis virtutibus mensuram accedamus.*

Vide etiam ut rursus sanctissimus hic apostolus auditorem excitet, sublimemque ac animosum efficiat. *Sed in his omnibus plusquam superamus, per eum qui nos dilexit.* Quod enim mirabile est, hoc est, quod non superamus solum, sed per ea ipsa superamus, per quae insidias patimur: nec similiter superamus, sed plusquam superamus, hoc est, omni cum facilitate, citra sudores, ac labores. Non enim molestias tolerantes, sed animum modo praeparantes, sic ubique trophaea contra hostes statuimus. Et id justa de causa. Deus est enim qui nobiscum decertat. Ne igitur diffidas. Si qui flagellamur, superamus: si qui, exigimur, persequentes vincimus: si qui morimur, viventes in fugam vertimus. Sicque ut facile intelligant omnes, non esse insidiatoribus nostris bellum contra homines susceptum, sed contra inexpugnabilem illam potentiam, quae victoriam nostram, quin supra omnem modum eluceat, nullo inimicorum commento prohiberi sinit. Inspiciamus Iudaeos, si placet, qui cum apostolos duces nostros in manu sua haberent, addubitantes tamen dicebant: quid his faciemus hominibus? O stupendum miraculum (*Acto. 3.*) Christi fortitudine dignum, carceribus detinentur, magnorum criminum rei aguntur, vinciuntur, et caeduntur: et tamen qui detinebant, judicabant, caedebant, mentis consiliique inopes haesitabant adhuc, per haec ipsa manus dantes, ac victos sese agnoscentes, per quae tamen victorias se reportaturos sperabant. Parum est quod dixi, neque tyrannus, neque carnifices, neque daemonum phalanges, neque ipse diabolus mundi princeps superare illos valebat: sed longe exuperabantur omnes, considerantes aperte, quas in eos artes intendebant, eas omnes illis iisdem auxilio cedere. Propterea dixit Paulus. *Plusquam superamus.* Nova enim victoriae lex haec erat, per ipsa eadem demum adversantia superare, ac nunquam superari, sed illos ipsos ita ad certamina descendere quasi exercitus domini jam essent. Et id quidem *propter eum qui dilexit nos*, et qui tantum nobis impendit, quemadmodum legit sacer Ambrosius. Sanctus vero Augustinus, per eum legit, ut sit sensus, in his malis omnibus superamus non nostra, sed Christi virtute, qui dilexit. Enimvero, patres sanctissimi, quantum antiqui illi primates nostri consolationis in pressuris, et tribulationibus, carceribus, vinculis, quantum non spei solum, sed et virtutis ac roboris inter medios ipsos cruciatus experirentur, vel una illa sanctissimi Pauli pene caelestis gradatio, quae in epistola ad Romanos habetur, nobis clare ostendit: *Gloriamur, inquit, in spe (ad Ro 5.) gloria filiorum Dei.* Mire sane nos consojatur spes illa aeternae haereditatis, quae Dei filiis parata est: neque hac solum afficimur, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, ut quae occasio sit patientiae exercendae, rursus patientia probationem: reddit siquidem cum, qui affligitur, probatum:

probatio ipsa spem, volo dicere, spei vigorem operatur. Qui enim jam experientia didicit, quod ob nulla adversa dimoveri valeat studio virtutis, vehementer erigitur in spem vitae caelestis. Tandem spes hujusmodi afflictionibus roborata, et vegetata, non confundit: quia Dei caritas, qua nos facit dilectores suos, communicata nobis est, ac diffusa per sanctum Dei Spiritum, ceu pignus hereditatis, quatenus testaretur palam se bene cupere nobis, et praestitutum nobis quod promisit. O vere felicia tempora! o aetatem plusquam auream, quando e cavernis terrae, in quibus vix tui manebant: e solitudinibus, in quibus errabant: e speluncis, quibus pro domibus utebantur, sacerdotes suos magistros atque pastores, non laeta minus quam de caelo angelos accipiebat ecclesia: quae tot habuit, quot caelum sydera.

Horum vestigiis simplex credentium multitudo pressius haerens, suorum sacerdotum sanguine accensa, nil praeter Christum sitiens, pro justitia et religione, jugulum obtulisse mucroni, ingentem de tyranno hoste triumphum arbitratur. Fiebat inde, quemadmodum doctissimi quique observarunt, ut Christi sponsa inter funestos fascies, incensos ignes, nudos gladios, enses exertos, et fulgentes oppressa, magis floreret, contempta cresceret, laesa vinceret, ac tum demum gloriosior appareret, dum videretur superari. Omnia usque adeo recta ibant, ordineque suo, juxta apostolicum praeceptum, cuncta currebant, ut difficile non fuerit neque operosum, sanctissimo Christi martyri Dionysio vel abinvito extorquere Gentili aut Iudaeo. Quoniam haec nostra Hierarchia, quam ipse inter primas vagientis fascias, teneraque incunabula attigit, ad caelestis illius similitudinem, quae corporis oculis minime cerneretur in caelis, visibilis in terris ordinata est, quam voluit conditor Deus caelestem imitari: quemadmodum et illa divinam refert. Vultis finiam? Haec sane est, quam totam miratur pulcrum sponsus: cui dum epithalamium ludit dulcissime, vix a laude se temperat. O quam mihi pulcra videris et formosa, amica mea. Ingeminal rursum. Quam pulcra es. Oculi tui (*Cant. 4.*) columbarum, ut nihil attingam eorum, quae humanos oculos fugiunt. Pulcrum refert, pulcrum sponsam subinde replicat, ut duplicem hujus pulcritudinem insinuet: alteram, in qua nunc quidem cernitur Christi ecclesia, spiritu pauper et humilis, corde mitis et munda: exilii sui ab sponso lacrymas comites habens: et cum hoc alienis miseriis blandiens, divinam legem esuriens semper et sitiens (quae vera justitia est) et mille propter eam incommodis lacessita: at Christo suo nimium honorata. Alteram habet pulcritudinem in spe praemiorum, quam facto assequetur: cum filiorum expleto numero, per conditorem suum in caelestem speciem et admirandam aeternitatem sublevabitur. Patent illa dum a domo et regno sponsi exulat: latent haec, quoniam merces ipsius multa est in caelis. O divinae philosophiae literarium ludum, caelestis ethices officinam mirabilem, palaestram, ubi tot martyres gloriosissime decertarunt amplissimam, sponsi viridarium, tot animis virginea pudicitia virentibus et florentibus refertissimum: denique lapidicinam unde praecisi tot lapides, qui supernae illius Hierusalem muros compleant augustissimam.

Proh dolor quo abiit sancta nostra? quo pulcritudo antiqua nostra evanuit subito? quo immaculata nostra illa, vigilantissimi custodes profuga cessit? Heu, jacent cuncta: nihil moderati et pensi in nobis: divina mandata temerantur passim: sanctis observationibus vel a minimo quoque illuditur turpissime. Vera falsis inordinate permista; divina et humana habentur promiscua. Denique, profunda caligine oblecta cuncta, consepulta dormiunt. Heu quam deflexum ab officii religione! quam declinatum nobis omnibus a recto vitae curriculo! Aureum illud altare hostiis divinis sacrum supra quod saginatum ponimus vitulum igni assum, unum novi et aeterni testamenti sacrificium, et evangelicae legis victimam singularem, ecce omnibus pervium: quod et mille modis prophani isti violant, atque commaculant homines sine Deo, sine lege, et absque sacrificio. Quo loco, quod mihi pene memoria exciderat, non silebo. Mirus sane inter patres, multis istis retro saeculis, de hoc divino sacramento fuit consensus: neque inter eos vel minimum quidem opinionis sinistrae emersit, quod de eucharistia aut senserint, aut pronunciarint: quos scimus ipsam sacratissimam liturgiam ad usque vitae extremum summo cultu celebravisse, fuerint illi Graeci, sive Latini. At umbratiles delineatores, fictoresque isti, nunquam non calumniantur impudenter, pseudographe colligentes semper. Quibus mos est, quemadmodum Tertullianus diligentissime observat, e sanctorum hortis amoenissimis, et e sanctarum scripturarum promptuario virgulta quaedam decerpere: ut vel sic sacrosanctam eorum majestatem quoquo pacto quasi arrodendo imminuant, atque evertant. Sed et antiquas illas caelestis structurae portas voracissima flamma, immanissimusque ignis absumpsit, coeperuntque Christi sacerdotes, alio sanctum Dei intrare, a quo sane tempore non recti gressus, sed regressus in Christi ecclesia apparere visi sunt: inde exortae hae-

reses, agrestesque enati mores, quos nuda ratio, non evangelica lux tantum condemnet. Quod si contingat eum qui praeest (*Ezech. 34.*) corruptis esse moribus, quo pacto (docete me patres beatissimi) miseris ovibus licebit esse bonis, et justis? Qui fiet, rogo, sanet aegrotum, fractum solidet, firmet nutantem, plagam tumentem oleo foveat, ac tandem quod perierat, requirat is, qui nihil minus quam quae Christi sunt curat? Imo vero, si coram tanto conspectu vera tacuisse eum qui pro justitia dicit, immanissimum fuerit scelus.

Haud dubium, sanctissimi patres, ni tanto malo grassanti pessime, quod et crescit in horas, vestra prudentia se opponat, recte vivendi rationem omnem in contrarium cessuram: patrum instituta omnia in fundum itura: Christi jugum modis omnibus leve pressum premendum, sed, et ipsum naturae lumen nobis consignatum brevi perditum iri. Horret siquidem animus temporum nostrorum ruinas persequi. Multi, prohi dolor, fluxere anni, quibus Romana sedes oppetitur, tentant vastare, rapere, trahere. Quod si non eam, ut quae supra firmam sit aedificata petram: at quot vincti sacerdotes, quot episcopi iis belluis fuere ludibrio, dum mendacio minime cedunt? Quot subversae ecclesiae: et ad Christi altare (pudet dicere, sed quid facias? sic sors nostra tulit, sic meritum est nostrum) ad Christi, inquam altare, quem locum fides est sancti Dei angelos latria pari venerari atque caeli aram, miserabile dictu (non paradoxa refero) vidistis patres, vidistis (istos oculos testes appello) dirutis sacris, ecclesiastico fundo per vim oppresso, sacrificii vasis sacrilegio ablatis, Christi cruce comminuta, sanctissimae Dei matris, sanctorumque omnium imaginibus pessime conspurcatis, et turpissime foedatis: ad ipsam etiam divinam aram stabulatos equos. O tempora nostra, o mores! non parcitur caelo, non aeri. Quid quod neque miserrimae ipsi terrae parcitur? in cujus viscera itum est, confossaque dedit ipsa sanctorum ossa, quae sibi pro arrabone asservarat: caelestis illius regenerationis et renovationis, quam creatura omnis (*Rom. 13.*) ingemiscens (ut dicebat Paulus) expectat. Quid plura? Martyrum sunt erutae reliquiae, ut neque post mortem justis altera desit martyri palma. Ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago.

Verum non ego historiam in praesentia dictare intendo, pro qua merito explicanda et Thucydides, et Salustius muti sint, sed quod initio statui, vestris subijcere oculis, quae nos propter amissam sacerdotibus nostris justitiam, et pessime a nobis laesam sanctificationem nostram, undique male habet, angustias. Vestra siquidem interest sanctificationem desertam, prophanatum illud altare, portas quae exustae sunt: demum antiqua illa omnia, quae suo tempore ecclesiae ornatus et splendoris plurimum conferebant, hoc nostro saeculo amissa esurire, et sitire: e re vestra est, fugientem justitiam nostram retinere, oppressam iuvare, prope jam jam labentem manu sublevare et jacentem erigere. *Sacerdotes ergo tui domine* (*Psal. 131.*) *induantur justitiam*, robur et fortitudinem: quorum labia jubetur custodire scientiam, et de quorum ore leges sanctissimas quae nos in officio contineant, quemadmodum tu (*Malac. 2.*) praecepisti, ecce omnes nunc requirimus: dum autem haec explicatius dicere laboro, et ad sanctissimae Dei matris Mariae, sanctorumque omnium aram religiosissimam supplex confugio, me spiritus deficit, permissu vestro (qua humanitate estis) paululum respirabo, mox virium copiis quasi collectis, brevi mihi ventis spero secundis quaeretur portus, in quem prope fatiscens se recipiat oratio.

Nemo ignorat longe diversam vos hodierno die iniisse rationem, patres sanctissimi, ab antiquis illis patribus, qui vos praecesserunt: quod illis quidem adversum haereses singulas, quas habuit saeculum omne proprias, pro tempore ac aetatibus certatum est legitime. Nicaeni siquidem concilii gladio periit Arius: Sabellium Constantinopolitana synodus confudit: impietatem Nestorianam Ephesinum concilium deprehendit: Eutychetis blasphemiam cum suo Dioscuro Calchedonense anathemate percussit: Priscillianistae (si bene memini) in Bracarense succubere. Florentina synodus rebellem Graeciam positis utrimque armis, antiquae Romae gloriosissime subegit. At diebus his, quibus ex tot malorum chiliadibus sublevandam se vobis credidit ecclesia, universae, et quae jam obdormivissent consepultae eam agmine certo eviscerandam petunt. Ceciderat jam Arius, abierat Manichaeus, corruerat Iovinianus, dormierat Vigilantius, perierat Felix infelicissimus, Eutyches confusus decesserat: non sic crebro audiebantur voces illae, quae sponsam e dulci somno deturbarent, *Exinanite, exinanite usque* (*Psal. 136. Hierem. 2.*) *ad fundamentum in ea*: neque filii Memphis et Taphnes adjiciebant, matrem nostram, alioqui virginem castam, usque ad verticem constuprare. Summa Hierico muros solo aequatos, prope omnes, sanctissima haec Christi sponsa, ingenti perfusa laetitia prospectabat: at saeculo isto ex omnium (*Ios. 6.*) cineribus natus homo est (si culpa non est hominem dixisse eum, qui vel naturae lumini renunciarit aperte) de filiis Be-

lial unus, vertiginosum caput ad amussim designatam numquam intendens: cui in ista tam praeclara studia incumbenti id semper curae fuit, Christi ecclesiam ab occidente, ubi tunc pace florebat, (quemadmodum ab oriente acceperat) ultra Sauromatas, et in longe remotissimas orbis partes profugam, extorrem, domibusque ejectam suis relegare. Quantum ille profecerit (quoniam malum crescit iu horas) ut quae nescimus loca, missa faciamus: Germaniam, nobisque finitimas provincias profero.

Adversus spurium istum de castris Philistinorum, vigesimus ferme agitur annus, ex quo quidem tempore, Christi acies Tridenti ordinata, non sine magna gloria, et ingenti triumpho decertat, verum (ut dicit quidam) ingenui animi est, cui multum debeas, velle te eidem debere plurimum. Quare etsi universam fidei nostrae confessionem, sacramentorum maxime, patribus oecumenicae synodi, post Deum absolutam, et puram feramus acceptam, praeter id, mundari sancta nostra et revocari, antiquis justitiam restitui natalibus, ecclesiae pulcritudinem resarciri, in haec omnia tam praeclara summique ponderis, orbis totus, qui Christo nomen dedit, divinis aris religiosissime incumbens, sua nuncupat vota: et egregie ille sane. Nam quid cedo aequae pulcrum, quam si quod multorum peccatis amisimus, multorum nihilominus vitae integritate restituatur? Vosque, patres vigilantissimi, nos omnes in officio continebitis, nosque non cum mediocri usura et amissa habebimus, et parta tuebimur. Haec vobis relicta via est, et (ut ego conjicio) sola revocandi iterato eos, qui a vobis ad Lutheri castra transfugae descivere: ut (si quemadmodum sanctissimus Petrus nos monet) conservationem (1. *Pet.* 2.) nostram, quae nimium ab antiqua illa degeneravit, in medio generationis hujus pravae et perversae habeamus bonam: ut in quo nobis, tamquam de malefactoribus, oblatrant, ex bonis operibus nos considerantes, glorificent communem Deum nobiscum. Nemo tibi fidat. Omnis principatus vita brevis: peccatorum vero maxime constrictissimus et angustissimus. Meminerint duces nostri, vel cum sanctissimo sene Hieronymo, quo pacto (libet dicere) a Christo passo, nunc vero potissimum, Romana fides quatitur, quae stetit semper, stabitque perpetuo: et tamen cervix nostra erecta non flectitur.

Olim offensum sentimus neque placamus Deum. Vultis audire? nostris peccatis haeretici fortes sunt. O nos infelices et miseros, qui tantum displicemus Deo, ut per istorum immoderatam rabiem, illius in nos ira desaeviat. Haud dubium, sanctissimi Christianae vitae instauratores, morbi causis amputatis, morbus ipse cederet ablatas, statim cernamus quemadmodum elegantissime de more sanctus Hieronymus de apparatu et exercitu Romano locutus ait, sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere. Potuit Moyses pro cadente (*Exod.* 31.) populo erectus, divini furoris impetum, mortis suae oblatione extinguere: at hoc, postquam Israeliticae gentis inclyti ducis imperio, multo populi sanguine fuso, divina offensa expiari coepit. Potuit Aaron (*Num.* 16.) animadversionis flammam incensi fumo temperare: sed postquam inter vivos et mortuos medius thuribulum versat. Potuit et sanctissimus (2. *Reg.* 24.) David et ante praefinitum tempus caelestis placationis gratiam invenisse: sed hoc, postquam multam illam caedem, lateque patentem stragem, ex suo ipsius peccato profectam ingemuit et doluit: sed et acerbe et dure saevienti angelo, seipsum trucidandum obtulit. Potuit Helias (3. *Reg.* 17.) longo tempore siccitatibus squalente terra, pluvias vel verbo solo revocare. Potuit et Ezechias (4. *Reg.* 19.) rex, una nocte et ab uno angelo, mirabile dictu, centum octoginta millia Assyriorum prostrata videre: verum hoc, cum ipse prius stultas et importunas Sennacherib in Deum caeli blasphemias, capite consperso cinere, perfusus lacrymis, conscissis vestibus, nudis pedibus, meliori demum sua vita correxit. Potuit Phinees (*Num.* 25.) indignationi Dei zelum suum opponere, divinumque ignem suo gladio compescere: sed, hoc postquam luxuriantes cum alienigenis, in ipso coitu trucidat. Denique nulli vincere difficile est, quem poenitet sic vixisse: ut qui superari et vinci dignus haberetur.

Quod si tantopere, literalissimi domini, antiqua et vetera illa nos delectant, ducis ego cujusdam fortissimi, ejusdemque religiosissimi Israelitici populi, nulla oblivione periturum factum ob oculos in praesentia statuam. Iudas siquidem Machabaeus Gorgia, atque Lysia, qui fuerant Dei populo (1. *Mach.* 4.) hostes acerrimi, gloriosissime divictis, cum populus, gensque universa, pace aliquantula recrearetur, eos, quibus praeerat, in hunc modum fertur allocutus: Ecce contriti sunt inimici nostri (corruebant sane multi de exercitu Lysiae, quemadmodum sacra Machabaeorum historia refert) quid ergo oliandum ne nobis? minime gentium. Imo vero en se mihi offerunt viri fratres, quae canamus epinicia Deo nostro pro victoria parta. Quare, nec mora, ascendamus mundare et renovare sancta. Omnia illi feramus accepta, qui manus nostras docuit ad bellum, ere-

xit ad praelium digitos, et posuit aereum brachium nostrum: ascendamus mundare et renovare sancta, continuo exercitus cunctus praesto est, quem dux strenuus post sese humanissime rapit. O quam pulcrum videre quemadmodum praeceuntis pastoris vestigiis ovile simplex haeret! Quid plura? Dei montem ascendunt omnes, viderunt sanctificationem desertam, altare prophanatum, portas exustas. Deum immortalem, cujus vel ferreum pectus mala haec non emollirent, atque commoverent? neque hic finis, secus quam consueverunt in montibus hominum gressibus minime pressis enasci. Insuper quo nihil templi illius, inter gentes exterisque nationes nominis plurimi, inimicorum prophana temeritas integram reliquisset, pastophoria dirupit. Ea sane loca erant, in quibus ex Dei mandato Levitae sacris ministraturi morabantur. Pius intuentium animus vix se continuit: et quos non ab hoste sanguis effusus fortunae melioris spem abjicere, neque fractum etsi labore animum despondere fecit: pietas et religio in lacrymis dedere: gemitum extorsit non ulcerum dolor, non parentum vel propinquorum, quibus cum vixissent carissimi, mors crudelis, visaque ultro citroque cruenta spectacula multa: sed sanctificatio deserta, violatusque cultus majestatis aeternae.

Mendax sim ego, beatissimi patres, ni quae vos saepe legistis ego narro, quae pro pace induerant vestimenta concidunt, caput redimitum nuper coronis, ipsis positis, cinere conspergunt. Vix hujusmodi voces querulae immistae lacrymis expiabantur. Quo nobis adhuc vivere? quid nos patres nostri genuere, et matres nostrae lucis hujus usura donarunt? Scilicet, videre contritionem populi nostri, et pariter templi: quod jacere videmus in modum hominis ignobilis absque nomine et sine honore, cujus compositio ablata est? Quis ferat sanctam nostram pulcritudinem, claritatem nostram desolatam? Quo igitur nobis vivere adhuc? Deum ergo antiquae matri parentalia celebrant, justaque de more solvunt, non illis pro rei dignitate, hominis lingua par est, neque semiarticulata prae lacrymis vox dolorem aequat. Quare itum est ad tubas: tubis signorum inelamatum est miserime, ut aether ipse gemitibus quateretur. Hucusque lacrymas, hucusque singultus. Jam audis studium, jam accipe populi ardorem, jam vide unumquemque manum suam ad fortia immittentem, ut quod de religione perierat, non sine mirabili et meliori ratione recrearetur. Tunc ordinavit Iudas viros ut pugarent adversus eos qui erant in arce donec mundarent sancta: elegi sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, et mundaverunt, et ejecerunt lapide immundos.

Hic jam ego, o ecclesiae Christi principes, libeat audire quae dicere vix fert animus doloris impatiens. Quod si domus una, quae lapide, luto, lignosque constabat, vix suos capiens, cui in summa materiam terra, formam vero homo praestabat: haec inquam, incommodis, aerumnisque calamitosa suis, sic Hebraeorum animos percussit, quid cedo futurum arbitramini, vere pio, sincereque Christiano pectori, dum stragem patentem late veri illius tabernaculi, quod fixit Deus et non homo ad justam libram aequis (ut dicitur) ponderibus pensat? Haec Christi innocentissima sponsa pressuris atque flagellis vel ab ingrattissimo partu immanissime caesa, et eviscerata: verum illud sui sponsi corpus quinque confossum vulneribus verberibusque innumeris dilaceratum apprime refert nobis, et repraesentat. Flent et dolent qui sedent ad umbras, cum neque ipsas haberent rerum imagines, sed ceremoniis, et velaminibus (ut dicebat Paulus) morosi suis intra involucria quaedam sese continebant: et custodibus ecclesiae Christi, post velum scissum, post tot dona collata, post suae fidei commissam ecclesiam, quae Dei sanguine sterit, nulli curae erit: captiva vasa nostra ferat quivis: fuerint illa aurea aut argentea? Vos domini castra ascendistis, mundaturi et renovaturi sancta: duces vestri, secundum Christum apostoli (sic enim vocat eos non semel sanctus Dionysius in de ecclesiastica hierarchia) scripturae sanctae pro vobis suos gladios vibrant. Patrum commentarii sacri in hac vestra acie stant: canones et concilia a vobis dimicant ornatissime: traditiones apostolicae decertant aperte, ecclesiae non heri aut nudius tertius nata, sed quae jam olim invaluit consuetudo, ingens pro veritate argumentum, patrocinator mire.

Sed et a vobis, pastores optimi, multos obsides habet Christiana respublica, qui nos bene sperare satis jubent de vobis, quos ut et incolumes conservare, tueri, confirmare, ac recuperare possitis, omni ratione erit vobis dimicandum: habet honorem, quem illibatum ad ordinem istum semper detulit. Habet spem quam firmam de vestro integro iudicio sibi custodit. Habet existimationem multo sudore, labore vigiliisque collectam, ut si in hac justitiae causa, quae Christiani totius populi sine dubio est, vestrum officium et diligentiam probaveritis, haec quae dixi retinere per nos incolumia, ac salva possitis. Si vero tantulum offensum titubatunquae sit, ut ea quae singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdatis, hoc unum ad invidiam vestri ordinis

infamiamque nostram sedendam maxime pertinet. Quod et non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo reipublicae Christianae tempore videtur. De quo negotio, si vos severe religioseque judicaveritis, auctoritas ea, quae in vobis remanere debet, haerebit omnino: sin minus, reconciliare existimationem judiciorum vestrorum apud haec satanae membra amissam prorsus, Christiani populi gratiam retinere, quam apud eum semper habuistis, satisfacere exteris nationibus quo pacto possitis, non facile occurrit excogitare.

Eximium est, fateor, vel ista parte ecclesiae spem aequare tantum, ne dicam vincere: at ea res non parum vos commonere debet, quod quamvis quae diximus omnia, magni ponderis, gravique sint, tanta sibi fide ea de vobis promittat ecclesia, de quibus et nobis ipsis solemus polliceri: quod non vestram voluntatem a Dei lege, in quam firmam omnis desiderii anchoram sacerdotum suos habere oportet, gloriae cito moriturae studium dimovebit: probe enim nostis quoniam omnis gloria (si illam, quae Dei nostri est nullo saeculo morituram excepias) tamquam flos foeni aestimabitur. *Exaruit* (Psal. 36. Psal. 91. Psal. 102. Isai. 48.) *foenum, et flos ejus decedit*. Non rerum, quae transeunt cum suo saeculo, cupiditas versabit animum. Scitis namque quoniam filii divitiarum dormierunt somnum suum, et nihil post invenerunt in manibus. A quibus, juxta evangelicam historiam, nocte illa daemones et animam repetent. Nihil tandem, nihil (certi sumus) ab officio publico discedere faciet eos, quos scimus numeros omnes justitiae continere. Num mortis metus terrebit eos, quibus pro Christo et regno ejus, quae est ecclesia, dedisse animas in mortem, vicisse est? moriendum est enim nobis omnibus, futurumque, ut dicamus putredini, quamlibet nunc eam exosam aversemur: tu mihi pater es, vosque o vermes soror et mater. Ecce enim, patientissimus Iob dicebat, Breves anni (Iob. 17.) nostri transeunt, et semitam per quam nunquam revertemur, ambulamus mortales nos. Paucissimi ergo dies, et sine honore transacti, quid facient ad illam aeternitatem, quae nos manet?

Ostendam vero nunc quid sacerdotibus principibusque nostris illustrissimis ecclesiae ducibus timendum sit magnopere: quod vos, patres sanctissimi, nocturna versate memoria, versate diurna. Congregarat proselytos (2. Paralipo. 21.) de terra Israel rex sanctissimus David, constituerat ex eis innumeros lapidas et latomos, qui caedendis ac poliendis lapidibus studerent, ferrum quoque ad clavos januarum, et ad commissuras habebat plurimum aeris innumerabile pondus: sed et ligna cedrina aestimari non poterant quae Sidonii et Tyrii deportaverant ad David, ut Dei domus construeretur: talibus intentum, et qui plura designaret, divinum intercipit oraculum. Multum sanguinem effudisti, o rex David (objectat illi vel Hieronymo teste, pessime interfectum Uriam) plurima bella bellasti, non poteris aedificare domum nomine meo, tanto effuso sanguine coram me. Audi jam quem mihi aedificatorem elegerim, nascetur tibi filius, qui vir quietissimus erit, cujus et solium firmabo ego in aeternum, et me patrem habebit, et item ego ipsum filium: hic aedificabit domum nomini meo post te.

O patres et pastores excellentissimi, cum sitis ipsi sapientes, libenter suffertis insipientes: suffertis siquidem, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos caedit. Ego vero supplex precabor intentissima mente id expendere vos solum, ne post omnium hominum et angelorum oculos in vos coniectos tantum laudis e vestris manibus eximat altissimus, quam in multo gratiorem sibi futuram servet generationem. Eo certe laboris Christiana respublica devenit jam, ad eam miseriam jam processimus patres, ut non satis fuerit vobis prudentia vestra, quae plurima est, ecclesiasticae causae favisse, nisi etiam opportunis lacrymis novum per vos accendatur quaerendi divini favoris studium: in quo nos omnes ea bona recuperemus, quibus prorsus scelerum nostrorum causa destituti esse deprehendimur. Non enim legitimos iudices suos solum Christianus orbis vos appellat nunc: sed summum etiam suis fortunis omnibus praesidium in vestris piis precibus, lacrymisque sacerdotum et suspiriis constitutum esse arbitrantur omnes. Es siquidem divinae providentiae, ac sapientiae solemne (quemadmodum ab eruditissimo quodam viro vere pio sincereque Christiano elegantissime observatum legimus) nonnumquam etiam piorum bona consilia impediri, cum coeperint niti suis consiliis sine Dei verbo. Sic Adam et Eva cum nato Cain dicere, possedi hominem per Deum, frustrati sunt: quia humana erat cogitatio sine Deo, magnificam in spem erat adducti fore semen illud mulieris promissum, sed fallebantur. Sic Isaac fallitur in primo genito suo Esau: sic Iacob in Rachel et ex ea natis filiis: sic David sanctus haudquaquam efficere potuit, ut filii sui pacifice et obedienter viverent: sic Salomon omnes edoctrurus sapientiam, in proprio filio suo Roboam fallitur. Sic, inquit, adhuc multi bona intentione conati

sunt restituere ecclesiam lapsam, sed frustra. Cur hoc, quaerit: permittit Deus (respondet) ut nos ipsos agnoscamus, nec fidamus nostrae sapientiae solum, sed ea, ut propriis fudit consiliis, desperantes, committamus nos Deo, ipsius auxilium invocantes.

Sed et illud movere vos magnopere debet, patres, quod semel laesa divina justitia, in eum, qui loedoriam intulit, aut certe, in eum, qui cum propulsare posset et deberet, non coercuit: aut Deum, aut hominem vindicem habitura est. Solet etiam animus ipse divinus mitissimus sane, in iram atque furorem accendi, saepe in flammis, et in ignem irritari: solent et divinae manus, alioqui largissimae, iudicium nulli non timendum arripere, et quod in tempus serum rejecerat supplicium, celeriter maturare: ut quam pulcrum sit Dei morientis in cruce pro nobis, manus clavis fixas nunc tenere comprehensas, quarum beneficio cuncta nobis adversa silent, prospera omnia et amica vigent: tam horrendum fuerit, vel Paulo sanctissimo teste, in manus (*Hebr. 10.*) Dei viventis miseros nos incidisse, quae nullo prorsus negotio possint in nos caelum et terram armare, et divini furoris sui virgam super populum saevissime exercere.

Sed o infinitae majestatis, optime et maxime Deus, e cujus aspectu et fruitione, sanctorum gloria pendet, cujus incredibilis affectus jam ante conditum mundum, in eos, qui tecum in aeternitatem essent, perenni beatitudine sanctos, mirifice ferebatur, respice precamur in eum, quem unigenitum tuum carnem factum tenera atque illibata virgo dedit: non nos homines quamlibet sceleratos, quamlibet flagitiosos, quamlibet sceleribus obrutos: non nos jam despiciatui habere poteris quando frequens Dei hominis occurret imago: frater etenim noster, et caro nostra est, ut condolere possit iis qui peccant et errant. Quare noxas nostras, quarum apud te rei agimur, remitte illi et condona: sacerdotesque tuos, pastores nostros, o exultatio sanctorum, indue salutari: tuque beatorum omnium princeps et gloria Iesu, justorum antesignane caelestis, noli sponsam postponere, quae tuis advoluta pedibus, passis crinibus, quos tu aliquando magnifice commendasti, lacrymis (*Cant. 4*) perfusa, memineris precatur, quod cum natura Deus esses (quod et factis palam ostendisti, dum vel verbo tuo animas corporibus admirando postliminio restitueres, rerum elementa verteres, tempestates sedares, morbos quoslibet propulsares, daemonibus imperares) tantus ac talis cum esses, summus ipse rerum omnium et auctor et moderator sic te abjecisti, ut non inter homines inedia solum, siti, frigore, aestu, defatigatione mirum in modum angereris, essesque injuriis omnibus opportunus: verum rex tu mentis angelicae, servi, qui alligandas manus, terga caedenda ultro praeberet, et crucis insons non debaret supplicium, induisti personam. Ad haec omnia perferenda vehemens ille amor, quo in eam flagrabas, te impulit. Imo vero sanctissimi illi anni tui, quos a virginali partu cum ea innocentissime transegisti, et martyrio immanissimo complevisi, paucissimi tibi videbantur, proposito gaudio, quod esses in ejus amplexus dulcissimos, formosus prae filiis hominum, aliquando iturus: cumque omnem haberes in caelo et in terra potestatem, stipulatione certa te illi astrinxisti, neminem, te in caelestem illum senatum, supremumque conventum assumpturum, quem non haec carissima tibi sponsa genuisset, sinu fovisset, lacte enutrivisset, legibus et moribus instituisset. Neque tibi libuit caelos, unde eras, illi ingentia dona effusus, conscendere: ni prius verbo tuo divino, quo omnia portas, virtute et veritate tua id illi ratum reliquisses, quod esses cum ea usque in saeculi (*Matth.*) consummationem mansurus. Per haec ergo omnia illa te orat, et obtestatur, ne inter tot mala, tot errorum caligines, densissimasque haeresum tenebras, post tot amissos filios, quorum casum affectus maternus ferre nequit: dum cogitat cum filio prodigo epulari, majoremque in modum aliquando laetari, orat ne tu ei defuisse velis.

Vos beatissimae mentes, quae divinis insertae principatibus, chorisque junctae caelestibus, splendorem eisdem confertis amplissimum: quibus eadem pientissima mater dedit hic gravida ubera sugere, brachia occupare, humeris colloque pendere permisit: vos compellat, haec accepta referri sibi, beneficium beneficio rependi. Haec enim per patientiam currere ad propositum vobis certamen saepe hortata est. Eadem, ne cui vestrum tyrannadi cedere contigisset, futura vestro martyrio felix, aspicere in auctorem et consummatorem fidei vestrae subinde vos monebat. Haec ipsa, postquam vos filios suos caelesti illi civitati domesticos dedit, e vestris corporibus, quas habere potest reliquias, sanctissime honorat, basilicas vestris nominibus (quae carissima habet) appellatas, velut loca sancta divino cultui mancipata, affectu piissimo, et devotione fidelissima adit. Vos denique honorat, colit, defensoresque suos et patronos assiduis precibus sollicitat. Occurrite itaque vos domino exercituum ne quae supersunt sacra, in Christi ecclesia, communi nostra parente, prosterni, et misere devastari patiantur. Neque vos domicilia, quae vestro sanguine sacrasistis, doctrina illustras-

tis, orationibus munivistis, tandem vita innocentissima vestra in meliorem spem erexistis, a spiritu erroris detineri, foedarique feratis: ne ille inde tot hominum millia in tartarum abripiat: unde multos habet caelum domesticos cives. Ne sit terra vestra maledicto proxima, quae tot filios benedictionis protulit.

Sed et vos Christi sacerdotes, ecclesiae patres et sponsi (ad quos filii ecclesiae undique collecti nunc populati, et innumeris vexati malis publice confluent) cogitate per generationes (1 Mach 2) singulas, quoniam qui justitiam induunt, non infirmantur. Ioseph dum eam custodit, inter teterrimos carceres, angustosque compedes creatus est terrae princeps. Phinees cum hanc zelat, accepit testamentum sacerdotii aeterni: hujus justitiae dum amore incenditur Elias, raptus est in caelum. Qui justitiam sitit saturabitur: qui propter eam adversa sustinet, copiosam in caelis habet et multam repositam mercedem. Vos populi prophetae, principes nostri, et duces, Dei sequestri et arbitri, divini verbi vasa et receptacula prima, praedicatores, et cognitores scripturarum, Dei voces, testes voluntatis divinae, vos habet sanctissimi domini Christi sponsa veros, ac legitimos pastores: vos sacratori ordinatione supra reliquos sacerdotes jam a primis ipsis apostolorum temporibus, Deo sacrati estis. Quorum imaginem, si Dei sacerdotes expressam reddiderint, sicut et apostolorum ipsorum sustinent personam, mox conventus ille felicissimus, supremique capitolii senatores, quemadmodum et solent super uno peccatore poenitentiam agente gaudere: sic super universa Christi ecclesia diem festum illi agent in condensis suis, postquam viderint sceptrum tenere in eam justitiam, divinas regnare leges, antiqua dogmata vigere, Christianis moribus suum locum assignari: nimiumque exultabunt. Ut verum sit omnino quod in psalmo legimus: *Sacerdotes tui domine induantur* (Psal. 131). *justitiam, et sancti tui exultent.* Tantum exultationis et laetitiae accrescat iis, quantum illis sanctificationis et justitiae. Sed et vos sacerdotes sanctissimi, vestrae peregrinationis a Christo exilio consummato, justitiam induti, beati et sancti exultabitis mercede magna nimis, accipientes gloriam ingentem, et nomen aeternum. Dixi.

XIV.

SERMON PREDICADO ANTE EL ECUMENICO CONCILIO TRIDENTINO

EN LA DOMINICA CUARTA DESPUES DE PENTECOSTES (14 DE JUNIO DE 1562), POR EL DOCTOR PEDRO MERCADO,

TEOLOGO DEL OBISPO DE VICH DON ACISCLO MOYA DE CONTRERAS.

Divo Luca referente (sancta ecclesia catholica) post superatam tentationem, scimus redemptorem nostrum applicuisse Nazareth, ubi nutritus erat, ac pro illius sancta et laudabili consuetudine intrasse synagogam: ubi, ait evangelista, surgit, ut legeret. Traditus est ei liber (Luc. 4). Isaiae prophetae, quem ubi revolvit, invenit locum in quo scriptum erat: *Spiritus domini super me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, et caecis visum etc.* Hoc Christi facto qui ecclesiam Dei intramus, praeterea ut alios doceamus, surgimus: hoc est, hunc sanctum locum ascendimus, edocemur, ne aliunde nobis paraturam ut habeamus orationem pro libito eligamus, quam ex ecclesiae praescripto. Haec enim unoquoque die statutum habet evangelium, designatas etiam epistolas, tum ex literis apostolicis desumptas, tum ex veteri instrumento: quibus habiturus orationem necessum est ligetur. Habet igitur sic evangelium hodiernum: *Factum* (Luc. 5). *est autem cum turbae irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genezareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, et lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.* Finem hic faciamus, satis enim erit si huic parti evangelii legitimum praestiterimus terminum. Inquit evangelista, cum plicuisset (Luc. 4.) dominus librum, reddidit ministro et sedit, et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Ad hoc exemplum oratos vos volo patres sanctissimos, tum propter dignitatem summam, quam in

ecclesia Dei hodie tenetis: tum propter vestram humanitatem, qua alios hoc in loco complecti soletis, me animo benigno, et attento audiatis.

Cœpit autem dicere ad illos: *Quia hodie impleta (Luc. 4.) est hæc scriptura in auribus vestris* Et hinc ego ordior orationem meam: quia hodie implenda est a vobis et perficienda (patres) historia evangelii, quam auribus vestris audivistis: sin secus, actum est de nobis, actum est de fide, deque religione, de pace, sine qua nemo videbit Deum. Praestabilius enim foret nos qui hic adsumus, numquam natos fuisse, aut quod matres nostrae, priusquam in earum utero animaremur, de nobis aborsum fecissent. Verum enimvero ne quispiam putet me his fallere quempiam, pedetentim literam evangelii tentemus: fiet enim tunc intelligat me vera pronuntiare. (*Factum est autem dum turbae irruerent in eum.*) Cum synagoga suos habuerit prophetas, suos scribas, suos etiam sacerdotes, quorum munus erat docere: quid rei factum est, ut populus Iudaeorum relictis illis Christum adiret? quod factum evangelista nobis sic narrat: *Factum est autem cum (Luc. 4.) turbae irruerent in eum* (emphasim enim hæc verba habent.) Praemisit evangelista causam: *stupebant (inquit) in doctrina ejus, quia sermo in potestate ejus erat.* Denique ob mirabiliorem doctrinam Christi, prae Pharisaeorum doctrinam factum iri evangelista ait, cujus causam subdit: *quia in potestate erat sermo ipsius: vel ut alius evangelista dicit, erat docens sicut potestatem (Matth. 7.) habens, et non sicut scribae et Pharisei.* Docebant enim Pharisei principibus adulantes, aut potestatibus saecularibus inservientes, aut propriae cupiditati. Hæc enim est summa potestas (1 Tim. 6). quae regnat, et non vincit: quam apostolus dicit radicem esse omnium malorum, eam enim quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis, supra quam dici possit. Christus autem nemini adulabatur, nec inserviebat alicui cupiditati (1. Petri 2). malignae, quam non habebat: si quidem peccatum non fecerat, sed negotium patris ad quod missus erat, posthabitis omnibus curabat.

Rogate igitur Deum, patres, pro me, siquidem hodie vicarius sum Christi et quamvis indignum munere doctoris fungar, ut doceam non sicut scribae et Pharisei, hoc est, addictus alicui principi, aut potestati, aut terrenae cupiditati: sed *sicut potestatem habens*, hoc est, negotium Christi solum agens: quod totis viribus facere enitar, sed interim vestris sanctis orationibus adjuvate me.

Erat Petrus in carcere, inquit historia sacra, et oratio fiebat ab ecclesia (Act 18). sine intermissione ad Deum pro eo. Itaque et vos, patres, Petrus eslis, negotium Petri agitis, parum dixi, imo negotium Christi: curate igitur ne in carcere sitis, hoc est, addicti alicui regi, aut potestati saeculari, aut propriae cupiditati, siquidem universa ecclesia orat pro vobis. Non extra rem in hac causa dicam, quod apostolus ad Romanos scribens, eos ad salubrem pacem deducere cupiens, ait: *et omnis creatura (Rom. 8). ingemiscit et parturit usque adhuc, expectans redemptionem corporis nostri:* ad eundem modum universus orbis ingemiscit et parturit, expectans ab hac sancta synodo redemptionem, ac pacem totius corporis nostri, hoc est, ecclesiae Dei. Nolite igitur patres, suspiriis et orationibus universi orbis resistere, quinimo quod vestri sancti officii est, hoc tantum negotium Christi agere curate: sic enim fiet, ut non scribas et Pharisaeos sequamini, sed Christum: apud quem (ut dixi) summa era potestas. Eandem enim summam habetis vos, siquidem integram pontificis summi voluntatem tenetis: quod si secus, frustra laboramus. Ad hæc propitias etiam habetis omnes saeculi potestates, quae pollicitae sunt, sese huic sanctae synodo omnem operam et favorem praestaturas.

Sat crebro apostolus Paulus rogabat eos ad quos scribebat, ut Deum pro se orarent, quo negotium Christi, cujus apostolus erat, libere tractaret. Ait enim ad Ephesios scribens: *Orate pro omnibus (Eph. 6). sanctis et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium evangelii pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam.* Vel ut Graecus sermo habet: id est, ut in eo libere agam, prout oportet me loqui. Sentiebat itaque apostolus maxime oportere se mysterium Christi, pro quo legatione fungebatur, libere ac cum omni fiducia tractare. At idem est quod Thessalonicensi ecclesiae scribit: *Creditum nobis (Thes. 2) evangelium ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione avaritiae, Deus testis est:* quam recte sanctus apostolus ait, non se sicut scribam et Pharisaeum (1 Thes. 2 Psal. 52) docuisse, sed sicut potestatem habens: Ait enim: *creditum nobis evangelium ita loquimur, non quasi hominibus placentes:* etenim hi confusione subjecti sunt, et quod magis est, Deus spernet eos, qui omnium hominum corda probat. Neque vero dicit se fuisse aliquando in sermone adulatorem, quales erant scribae,

cujus rei eos ad quos scribit testes citat: neque ait se in occasione avaritiae fuisse, ac si dixisset: tantum abest ut avaritiae studuerim, quin nec aliis quod de me id pularint occasionem praebui, cujus facti Deum in testem vocat. Superest igitur, patres, tantum apostolum hodie imitandum vobis proponatis.

Ad idem argumentum facit, quod in alia dicebat: *De cetero fratres orate* (2. Thes. 3.) *pro nobis, ut sermo Dei currat, et clarificetur, et ut liberemur ab importunis et malis hominibus, non enim omnium est fides*: et nos etiam oramus pro vobis, ut sermo vester currat, id est, libere agatur, quo Deus clarificetur, et ut liberemini ab importunis hominibus, quos scimus hoc nostro saeculo non deesse. Non omnium esse fidem dixit apostolus, et non solum illius temporibus (verum est) sed et nostris, quod maxime dolemus. Consolamur tamen eo Salomonis dicto, qui ait: *Quid est* (Eccles. 1.) *quod fuit, id quod est, et id quod est, erit*. Titum etiam quem in ecclesiastico ministerio erudierat apostolus ita alloquitur: *Haec* (Tit. 2.) *loquere, et exhortare, et argue, cum omni imperio: nemo te contemnat*. Et vos fratres sat fideliter in ecclesiastico negotio eruditi estis: loquimini igitur et objurgate cum omni imperio: ita enim fiet ut nemo vos contemnat. Animadversione dignum est, quod apostolus illis verbis subiecit (*nemo te contemnat*) praeviderat enim secundum spiritum datum sibi futurum fore, ut si Titus ecclesiastica ministeria cum timore tractaret, facile se subjectum fore vilipendio hominum et contemptui: atque ideo eum admonuit de illa libertate apostolica.

Hunc igitur operae pretium est haec sancta synodus imitetur, ne illius statuta sancta et decreta vilipendio ac neglectui pateant. Audio saepe plerosque ex vobis conqueri, et conturbari, quod principes et reges per injuriam occupent ecclesiam Dei, hoc est, census sacerdotibus ministerium exhibentibus debitos, et egenis, cujus mali vos per omnia culpatos esse pronuntio: siquidem expectantes beneficium, gratiam ac laborem ab eisdem, negotium Dei postponitis: atque ita fit ut huic cupiditati addicti non libere negotium ecclesiae, sicut edocti estis a Christo et Paulo, tractetis: proinde factum est, ut et vos et sancta statuta vestra contemnant. Qui enim in negotio ecclesiae nihil agunt, praeterquam id quod reges quos ipsi consulunt, praescribunt, quasi fides nostra e placitis regum pendeat: cum sciamus probandas esse (*Tertul. lib. de praescr. haereti.*) personas e fide, non vero fidem e personis, nam quid obsecro aliud hoc facto docent, quam quod propriae cupiditati inserviant, neque negotium Christi libere, ut par est, tractent? Conqueritur Deus, dicens: *Numquid* (4 Reg. 1.) *non erat Deus in Israel quem consuleretis?* Habetis itaque patres scripturam sacram, ubi aperte voluntas Dei resplendescit. Habetis etiam concilia generalia: ad haec historias ecclesiae, et sanctos doctores ecclesiae lumina. Haec omnia reges sunt, quos in ecclesiae causa necessum est consulatis. Num quod attinet ad praesens argumentum, est aliquod consilium firmiter et salubrius, consilio et facto hujus sanctae synodi? quod si secus putamus reperti sumus in fide fluctuantes. Non enim Christus dixit: *Vbi sunt duo* (Matth 18). *vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, principibus aut regibus: sed sacramento illius comitalui, cujus vos successores estis. Quod si regum consultatio pro votis non successerit, resistite illis: vestra enim interest haec fidelissime tractare. Audistis igitur quamobrem Iudaeorum populus neglectis synagogae sacerdotibus ad Christum confugerit.

Est et alia causa quam evangelista non tacet, quamobrem ad Christum confugerint (nempe ut audirent verbum Dei.) Argumento est igitur synagogae sacerdotes non docuisse verbum Dei, sed leges suas humanas, quod factum esse ita indicat evangelista Matthaeus: *Quare et vos* (Matth. 15) *transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* quamquam hoc loci non simpliciter leges Pharisaeorum humanas condemnat, sed eas quae legi Dei repugnabant. Quod facile cognoscimus ex evangelistae discursu: et clarius (*Marc. 7.*) ex Marco, vel eas leges quae nullius utilitatis et frugis erant improbat, ad quod alludit apostolus scribens ad Philippenses his verbis: *propter quod multam fiduciam habens*: vel ut Graecus habet id est, multam habens in Christo libertatem imperandi tibi quod ad rem pertinet, id est, quod decens est, quod conveniens est, sentiebat itaque apostolus se non debere mandare Philemoni quae levia et nullius frugis erant, sed id quod expediens fore videbat.

Non semel olim Deus prophetarum synagogae conquerebatur, quod somnia sua et commenta humana inculcarent, interim neglecto illius verbo: sic enim dicit apud Hieremiam: *qui volunt facere* (Ierem. 23.) *ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum quae narrat unusquisque ad proximum suum, sicut obliti sunt patres eorum neminis mei propter Baal. Propheta qui*

habet somnium narret somnium, et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit dominus? Comparat igitur prophetarum somnia paleis, quae praeter illam exterioritatem et mollitiem lenem nihil habent, quinimo medullae et fructus intus vacua sunt. Contra vero sermo Dei triticum est, qui quamvis exterius aliquo modo asper videatur, sed intus plenus est medulla, et dulcedine, quibus incrassabuntur illius fideles observatores. Non sine damno etiam ingenti ecclesiae Dei factum est, ut ejus legis interpretes populo etiam inculcarent sua somnia et commenta, interdum comminantes falsa miracula, sermone Dei neglecto; qui non ex una civitate a vobis, sed ut ille dixit, ex universo orbe exhibilandi sunt: sunt enim muscae foetidissimae, quae perdunt suavitatem unguenti, hoc est, dulcedinem verbi Dei. Curate igitur, patres, huic (*Eccles. 8.*) tanto malo, ne scandala in ecclesia Dei amplius augeant, occurrere.

Est et alia causa, quam subodorari licet ex evangelii historia, quamobrem Iudaeorum populus suis neglectis sacerdotibus ad Christum confugeret. Ea enim est, quod Christus gratis doceret: contra vero illi, non nisi conducti mercede. Neque egemus testimoniis ut probemus illorum sacerdotum avaritiam: nihil enim aliud clamant fere prophetarum voces, et Christi apud evangelistas sermones. Quod enim Christus gratis docuisset, scriptum est: *Gratis (Matt. 10.) accepistis, gratis date*: non utique gratis accepissent, nisi Christus gratis dedisset: summum enim ecclesiae malum est, non aliter docere nisi mercede conducamur. Neque vero quispiam putet hac de causa me velle dicere non deberi mercedem pastori: absit ut Paulo repugnem, per quem Christus loquebatur: is enim dicebat, *Nemo (Cor. 9.) militat suis stipendiis unquam*. Et illud: *Non alligabis os bovi trituranti*. Et illud: *Si seminamus (Tim. 5:) vobis spiritualia, mirum est quod vestra carnalia metamus?* absit etiam ut Christo resistam, dicenti: *Dignus est (1 Cor. 9.) mercenarius cibo suo*: sed quod dico istud est: indignos nempe esse doctoris munere, qui non aliter nisi pretia appreciati docturi sunt. Vulgatissimum est enim illud Gregorii dictum: facile doctrina (*Matth. 10.*) pastoris despicitur, cum vita illius non approbatur secundum spiritum datum sibi.

Reverendissimus Coimbricensis volens extra ecclesiam Dei excludere abusus (ii enim potissimum argumentum haereticorum sunt adversus nos, neque alio simplicem plebem decipiunt) dixit facile factum iri, si haec duo verba (non obstantibus) ab ecclesia Dei pellerentur. Fieri enim non potest, patres, quin in ecclesia Dei habeamus pontificem, qui compatiatur infirmatibus nostris: fieri etiam non potest, quin habeamus pastorem qui pascat nos, qui oblatis indulgentiis, eidemque concessis, alliciat nos ad orationem, ad jejunium, ad eleemosynarum largitionem, et ad confessionem sacramentalem, per quam Deo reconciliamur et proximo. Verum enimvero sanctus episcopus noluit ea tolli ex ecclesia Dei: sed animadvertens superfluitatem dispensationum, interim vel incolulto pontifice, vel in informatione decepto, dixit: alludens ad id quod dulcis Bernardus dixit: non prohibeo dispensare, sed dissipare. Ego vero certius consultum iri puto ecclesiae Dei, si duo verba quae non humana sunt sed divina, summa observatione et amplectantur, et teneantur: haec enim sunt *gratis date*, quae juris divini sunt, oratio est enim praeceptiva imperativi modi, duobus tantum verbis contenta: ne, si plura essent, obscuritatem praetenderent, sicut et in aliis multis interdum fieri solet. His enim sua brevitatis profuit, quo evaderent falsatias linguas hominum corruptorum. Satis enim hoc istud indicat locus ubi sedent: nam post haec verba, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones ejicite: adjecta sunt haec: *gratis accepistis, gratis date*

Iam illud quale est, patres, quod plerique episcoporum, ex summa illa ecclesiae censura aurifodinam fecerunt: non enim est mors neque gladius gravior (*Matth 10*) excommunicationis censura, et tamen haec occasione cujusdam cerae, sigilli, calami, papyri, inique vibratur. Cum sciamus apostolum illum (*1 Cor 5. 1. Tim. 1. 2 Thes. 3.*) fornicarium Corinthium, et quosdam alios blasphemos, ac quosdam non obtemperantes verbo Dei, anathemate feriisse: at nunc ecclesia Dei plena est fornicariis, blasphemis et repugnatoribus verbi Dei: et ii vitam in maxima quiete ducunt: solis enim pauperibus, qui propter certam pecuniae quantitatem, eamque non multam, cum non sint solvendo, inservit. Quid, quod saepe propter canem furto sublatum, et manicas et vestes traduntur? Indignum est, patres, ob istiusmodi viles causas, hanc censuram tradi, cujus in causa sunt aurum et argentum, quod occasione cerae et sigilli trahitur: licita enim fuerunt haec hactenus, sed nunc cum videamus in tanto ecclesiae scandalo episcopos abuti ea, necessum est animum advertatis, huic tanto aspero nodo quo cuneo occurrendum sit. Quid illud erit, quod interdum episcopo inconsulto et ejus vicario, a scribis qui perpetuo avari sunt traduntur? cum Christus advocari duos aut tres ait, *ut in ore (Matth. 8. Matth 18.) duorum aut trium estet omne verbum*, et Paulus ait; *Con-*

gregatis vobis, et spiritui meo, tradidi (1. Cor. 5). *hujusmodi hominem satanae*: non quod non feriant dico, si ita emittantur: quinimo ideo quia ita nocent non debent tradi, quin prius consilio prudentum ac piorum hominum res examinata fuerit: ad mortem corporis, ad flagella, ad exilium nemo damnatur, quin prius multis probis viris status causae examinetur: in sola vero excommunicatione, omni genere poenae graviore, haec religio deest: antequam hoc emporium a nobis sacerdotibus in ecclesia Dei inventum esset, omnia silentium tenebant.

Erant utique ante hoc tempus tumultus in ecclesia et haereses, sed adversus sanctissimam Trinitatem, hae occupabant homines solum doctos (si ita dicere licet) a quibus facillimo negotio extirpari poterant: at nunc sunt tumultus adversus fidem, haerentes carni et sanguini, qui irreliterunt indoctam plebem, quam difficillime veritas superat: ideoque non cunctandum est, patres, arcam domini purgare, periculum enim in mora est, dicebat Deus per Aggaeum prophetam: *Respexistis ad amplius, et ecce inventum est minus: intulistis in domum, et exsufflavi illud*. Interim quod ad ampliora respeximus, hoc est, quod magnificas domos extrueremus, et supellectilem augeremus, et ut marsupium impleremus, minus habet ecclesia Dei. Quid, quod occasione hujus argenti falso conglomerati factum est, ut qui numquam latro, numquam homicida futurus alias erat, in utrumque incidit? Cum enim vident sacerdotem aut episcopum morti vicinum, antequam camera apostolica veniat, ut quod sui juris est arripiat, utique ad dispensandum egenis, consanguinei, famuli, et plerique alii interdum duces, comites, nobiles, prosapia illustres et clari, alias nunquam, ut dixi, latrones futuri, inveniuntur furari aes. Vos, patres, decet haec sollicitate curare.

Exemplum illustre praebuit vobis summus ecclesiae pastor Pius IV. qui ex illa sua poenitentia resecauit jam quamplurima vitia, resecurus et alia quae supersunt: nam qui incipit, dimidium facti habet, et perficiet, procul dubio: neque aliud, quantum audio, mente tenet, quam ecclesiam purgandam curare. Praevenit igitur vos sua illa sancta benignitate, ut quod ille fecit in illa ecclesia capitali in qua residet, vos tantundem in ecclesia catholica faciatis: sequutus ulique hoc facto Christum, qui accepto flagello ementes et vendentes ejecit de templo. Habetis igitur, patres, quem imitemini. Pium Petri vicarium, et quod magis est, Christum redemptorem. Igitur eo unde digressi sumus revertamur

Curate, patres, ut ministeria Christi, et sacramenta ecclesiastica gratis dentur: curate ut De verbum doceatur: tandem curate ut libere negotium Christi tractetis, non sicut scribae et pharisaei, sed sicut habentes potestatem summam: ita fiet, ut misera plebs ludificata ab his nebulonibus et pseudoevangelistis, neglectis illis ad vos revertatur, et ecclesiam Dei, extra quam nullus salvus est, amplectatur, ac sub illius protectione agat. Ignoscite mihi, patres, quod tam palam loquutus fuerim: imo nolite ignoscere, si quidem inflammatus zelo religionis Dei, non possum non ita loqui: praeterea pressus sanctis vestris orationibus quibus me adjutastis, coactus sum ita effari. *Ascendens autem in unam navim quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, et sedens docebat de navicula turbas*. Historiae ordo non est negligendus, imo summa cum attentione observandus: non enim prius sedes docet, et postea rogat navim a terra subduci: sed quod diximus. Qua in re noscamus oportet doctrinam in ecclesia nihili esse, nisi ea a terrenis hominibus qui eam occupant liberetur.

Rogat Christus Simonem de reductione navis: et vos, patres, Simon estis. Rogat vos Christus quo ecclesiam a malis hominibus liberetis, quos non tantum haereticos dicit, sed et indoctos, ac vitae facinorosos: cum posset experte jubere, non id agit, sed rogat. Si aliquis vel rex, vel princeps quod in illius gratiam aliquid faceretis vos rogaret, non tantum bona extrema in illius gratiam dilapidaretis, ac vitam cum ingenti periculo poneretis: atque hoc ipsum summo beneficio duceretis: nunc vero rex regum, et dominus dominantium id rogat: quo modo non satisfacere illi poteritis? Neque enim propter se, sed propter utilitatem nostram id rogat, Deus enim non nostri indiget, quod et poeta luculenter dixit:

*Ipsa suis (Lucret. lib. 1.) opibus pollens, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

Praesentis dici calamitas sufficiens argumentum est, qui istud facere cunctis viribus enitimini. Insigne exemplum vobis praebuit ille non minus nobilis, quam extremus dux (1. Mach. 1.) Iudaici exercitus Iudas Machabaeus, qui cum videret templum profanatum, atque conspurcatum: occupaverat enim illud Antiochus ille (ut ait infallibilis historia sacra) *radix peccati*: quod ita per-

diderat, ut in atrijs (1. Mach. 4.) virgulta nata essent asperiora, ultra quam in saltibus et montibus inviis nasci solent. Id cum videret factum, elegit sacerdotes, habentes voluntatem legis Dei, ut coacti id mundarent, atque ita factum est: quotannis etiam designato die solemnitatem encoeniorum summo cum honore agebant: quam Christus sua praesentia decoravit, quemadmodum in evangelio sancti Ioannis reconditum (Ioan. 10.) habemus. Neque abs re erit si observaverimus id quod ait, se sacerdotes habentes voluntatem legis Dei ad id munus exequendum elegisse: non autem scientes dixit: parum enim sacerdoti prodest, si onustus fuerit literis, cum zelo careat Dei: utrumque enim ad restorationem templi conducibile est, at secundum per omnem modum necessarium: et vos illustrissimi legati hujus sancti exercitus duces estis: habetis etiam hic milites non quoscumque, sed apprime industrios in bello ecclesiastico, qui non solum scientiam legis Dei habent, sed ejusdem amore ac zelo inflammantur. Utimini igitur eorum opera ac industria. Properate omnes una ad templum Dei repurgandum: atque haec virgulta asperrima, hoc est, sacerdotes inutiles, quos Iudas apostolus arbores autumnales, infructuosas appellavit, eradicare. Ut quid enim hi ecclesiam Dei occupant? quod si id feceritis, ut de vobis speramus, fiet ut Christus Iesus sua praesentia nobile factum vestrum honestet: at idem est quod Oseas propheta ait: *Lappa* (Oseae 10.) *et tribulus ascendent super aras eorum*: herbae enim sunt hae nullius fructus, nec adhuc umbrae aptae, ubi defessi iter agentes caput reclinare valeant: sed eo solum quo animalia venenata calcaneis hominum insidiantia occultentur: ad eundem modum aras nostras, id est, ecclesiae dignitates, occuparunt lappa et carduus, sacerdotes nullius doctrinae nec utilitatis, nec ut solatio sint alicui egeno, sed tantum apud se, homicidas et fornicarios homines, quorum vitia officium linguae vincunt, teneant: haec velut animalia immunda, sunt a vobis ex aris Dei explodenda. Arcete igitur patres, a praesepibus ecclesiae hos fucos, ignavum pecus: disturbant enim et distentant suaviter hujus aedificii sancti, hoc est, ecclesiae Dei: consideremus etiam quid propheta his verbis adjece- rit: ait enim, *tunc dicent* (Oseae 10. Luc. 23.) *montibus, operite nos: et collibus, cadite super nos*, quod Christus ad diem illum iudicii transtulit. Vereor ne praeter spem hoc nobis contingat, cum haec verba illud, quod ego ad praesentem ecclesiae statum referebam, consequantur.

Totus etiam Aggaeus propheta in reaedificanda domo Dei pervigilat: ait enim ad Zorobabel, et ad Iesum filium Iosedec, et ad reliquos sacerdotes: *Haec dicit dominus exercituum: Populus iste dicit, nondum venit tempus domus domini aedificandae*: cum ad sacerdotes sermonem fecerit, quid est quod ait, populus iste dicit: sacerdotes enim a populo segregati erant, quod hi qui domus Dei impediunt aedificium, quamvis sacerdotes sint, populares sunt, nec de summo ordine eorum, sed de vilissimo, ac si diceret: hi non facto sacerdotes sunt, sed nomine tenus, siquidem restorationem templi quae ad se attinet perturbant. Addit ultra: *numquid vobis tempus est, ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta sit? ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum, et intulistis parum: comedistis, et non estis satiati*, etc. Perpendite, igitur patres: seminarunt multum patres illi antiqui: tantumdem etiam et vos facilis: hoc est, sancta indicitis decreta: ad haec plerique vestrum contra ecclesiae hostes, docte chartas doctrinae fideli implevistis. Quid horum quae seminastis intulistis? nihil fere. Hostes ecclesiae crescunt, nos autem diminuimur: illi florescunt (si ita loqui liceat) nos arescimus: illi hodie occupant ecclesiam, cras urbem, sequenti vero die provinciam. Quid sub hoc argumento dicam? bona pars Germaniae praescripsit adversus fidem. Franci homines nunc in perpetuo sunt dissidio. Hispani incoepimus jam infatuari: quid de aliis regionibus dicam? quantum audio ubique locorum haec pestis grassata est, ita ut ad Afros usque pervenerit: unde igitur haec? *quia domus Dei deserta est, dicit dominus*. Quid enim prodest augere statuta et decreta, quantumvis sancta, sicut sunt, si ecclesia Dei sacerdotibus qui ea populo et doceant et repetant, frustrata sit? *Ascendite* (inquit) *montem, portate ligna, et aedificate domum, et acceptabilis mihi erit, et glorificabor*. Et vos, patres sancti, montem hunc ascendistis, hoc est sanctum concilium, quo nihil in cuncto orbe altius. Reaedificate igitur domum, et dominus in ea glorificabitur. Nihil clarius ad praesens argumentum dici potuit.

Cum pressus angustia esset populus Israeliticus, dicit Deus per Oseam propheta: *Ululabant in* (Oseae 7) *cubiculis suis, sed super triticum et vinum ruminabant*: suspiria illorum, ruminaciones dixit: quasi dicat, non homines sed jumenta sunt, qui cernunt aerumnam instare, et qui debuissent propriam vitam deplorare: ruminabant, inquit, super (Hieron.) frumento et vino. Quotus quisque nostrum est, qui non deploret in ecclesia Dei tantam luem? nullus, imo saepenumero ad lacrymas usque prorumpimus: sed vereor ne suspiria haec nostra, super auro et argento ruminaciones sint:

nihil amplius dicam. Dicit igitur dominus sub nomine Zorobabel et sociis: *Confortamini, et facite, hoc est, domum Dei reaedificate, quia ego vobiscum sum, dicit dominus, et Spiritus meus in medio vestri est, nolite timere.* Et ad vos nunc (sancta synodus) haec verba dicta sunt: enitere igitur totis viribus, ut templum Dei profanatum emundetur: ad haec virgulta nata, hoc est, impuri sacerdotes ab eo eradicentur. Dominus enim vobiscum aderit, et spiritus ejus in medio vestri erit, firmus et stabilis est dominus in omnibus promissis: atque ita fiet ut obtemperetis domino supplicanti, ut a terra navim pusillum reducatis.

Et sedens docebat de navicula turbas. Locus hic nos admonet, ut aliquid de residentia dicamus: verum nos hanc disputationem, potissimum tempori, et loco, aliis relinquimus: siquidem ad manus nostras perventura est. Hoc unum tamen brevi dicam: In Exodo mandabat (*Exod. 5.*) Deus Moysi, ut arcam deauratam foris et intus faceret: et super eam propitiatorium, sive caelum, quod eam tegetet de auro mundissimo, ad cujus latus dextrum sit cherub unus, ad sinistram autem cherub alius, recta oculorum acie in id tendentes: tu autem supra propitiatorium eris, inde te alloquar, et praecipiam quaecumque mandabo per te filiis Israel. Praescribit igitur Moysi locum, quasi non aliter eum alloquuturus sit, nisi medius inter duos cherubinos sederit. Propitiatorium hoc, supra quod (*Rupertus super Isa.*) Moyses sedet, ecclesiam designat, extra quam neque salus, neque remissio, neque propitiatio peccatorum est. Duo illi cherubini, duo sunt testamenta, hanc ecclesiam respicientia rectam: non enim sibi repugnant. Sedeat igitur in ecclesia pastor, cujus actum Moyses indicat: is enim locus illi ex domini mandato praescriptus est, non aliter ei domino sermonem facturo. Quid igitur veritati tam (*Aug. contra Iul. Pelag. lib. 5. c. 2. Psal. 81.*) clare adumbratae contrahimus? quod si quis humana ignorantia laberetur, utcumque ferendum esset; quamquam manifestis scripturae sensibus contravenire, humana ignorantia non est, sed superba arrogantia, unde iudicio meo (*Ioan 10.*) schismata, et haereses profluunt. Ceterum, ut dixi, ferendus est error humanus, sed quod ob saeculi hujus lucrum ille repugnetur, summa impudentia est, *tantae ne animis caelestibus irae?* nos enim sacerdotes animae spirituales patres dicimur: uno vebo dicam, dii appellati sumus in sacro eloquio, neque aliquid magis dici potuit, confirmante id Christo in evangelio, ita enim habet Ioannes: tam igitur (*Ioan 10.*) acri ira huic rei resistimus? tanta ne philautia in nobis valet? hodie igitur implenda est a vobis patres evangelica scriptura quam auribus vestris audivistis: sin minus, actum est de ecclesia, cujus vos reges estis.

Toto igitur pectore laborate, ut haec navis a terra reducatur: ad exemplum illius nobilissimi ducis Iudaeorum, templum profanatum ac conspurcatum ab haeresibus emundate, sub haec virgulta illa infructuosa, id est, sacerdotes nullius fructus, hi enim aras nostras occuparunt, eradicat: fiet enim ut tunc Deus in ea glorificetur: ad haec curate sacramenta ecclesiae, et ejusdem quaecumque alia gratis ministrentur: curate etiam de verbo Dei docendo: denique Christi negotium libere tractetis, non sicut scribae et pharisaei, sed tamquam summam habentes potestatem. Exemplo vobis sit rex ille (*1. Reg. 15.*) David, qui fugam arripere coactus est, cum a proprio filio persecutionem pateretur. Quid enim, si Davidis magna enumerem? si ejus opes attendamus, nemo locupletior: si prosapiam, nemo nobilior, semel dicam, omni mundo major, verumtamen instante necessitate fugae meminit: neque abs re erit, si fugae ordinem consideraverimus, ille et pedites sexcenti, qui cum eo erant, pedes egressi sunt: uxores decem quas apud se habebat, domi reliquit. Ascendebat igitur clivum olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedebat, operto tamen capite: sexcenti etiam qui cum eo erant, et in lacrymis, et suspiriis, et in aliis regem comitabantur, proinde ita factum est, ut Absalon patris (*2. Reg. 18.*) iniquus persecutor insidens mulo subter condensam quercum suspensus perierit: et pater in primam restitueretur dignitatem. Qui nunc vos persequuntur Absalon sunt, filii enim vestri sunt: nam de ecclesia sunt, quamvis in ecclesia non sint.

Vos igitur qui David estis, non solum ob claritatem natalium nobilissimi, sed ob dignitatem prorsus divinam quam tenetis altissimi: majores enim estis omni mundo. Igitur cum scanderetis hunc olivarum locum altum, hoc est sanctum concilium, mulieres quas vobiscum tenetis (scio enim vos maritos esse, nam cupiditas est quae tenacissime omni mundo nupsit) relinquite domi, ita fiet ut expeditiores ad pacem ecclesiae tractandam sitis: lacrymis etiam ac gemitibus hoc malum redimiti: nudate pedes, hoc est, bona externa, ob quae bello fatigamur contemnite, si expedire videritis: sed summa cum diligentia caput operite: caput nostrum Christus est, quodvis (*1. Cor. 11.*) malum in corpore vestro patimini, capite tamen, hoc est, Christo Iesu observato, ne injuria aliqua illi fiat, imitantes serpentis prudentiam, quam velut doctricem Christus posuit, dicens: *Estote pru-*

dentes (Matth. 10) *sicut serpentes*: serpens enim ubi persequentem se fugit, modo caput absconderit, quo a quocumque ictu (*August. lib. 2. de doctrin. Chri. c. 16.*) tutum sit, in corporis reliqua parte vulnus quodlibet patitur ad mortem usque: tutandum caput, hoc est, Christum procurate: in bonis externis, quae neque apud barbaros interdum in tanto honore habita sunt, et in proprio corpore quodvis malum fert: ita enim fiet ut Absalonitae mulo insidentes, hoc est haereses (in mulo utique sedent, id est, in sterilitate et falsitate) suspensae et suffocatae remaneant. Longe multo majora ad praesentem causam, patres sanctissimi, ex hoc evangelio dici poterant, sed quoniam hora nos vocat, libenter supersedeo: *Pax Dei quae* (Phili. 4.) *exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Iesu domino nostro.*

XV.

SERMON PREDICADO POR EL DOCTOR GASPAR CARDILLO DE VILLALPANDO.

DE SEGOVIA, AL SACROSANTO CONCILIO DE TRENTO.

en la festividad de los santos apóstoles Pedro y Pablo, día 29 de junio de 1562.

ILLUSTRISSIMI cardinales, reverendissimi patres, clarissimi oratores, religiose consessus. De primatu Petri hodierno die in conspectu vestro, id est totius Christiani orbis teatro, oratio nobis instituta est: quod ad id nos hujus diei evangelica lectione sancta Romana ecclesia hortari videtur. Ad eam rem praestandam: si pro ejus dignitate majestate vestra nobis agendum sit, praeter innumera alia ornamenta ingenii, quibus veluti condimentis ipsa oratio plausibilis reddi solet, atque ad usum vitae accommodata, multarum prorsus, magnarumque rerum notitia, et admirabili dicendi facultate opus esse video. Sed quando his praesidiis animi, et sermonis adjumentis destituimur, quod et agnoscimus et fatemur, libenter ad Christum Jesum fontem atque originem bonorum omnium recurramus, ab eo imploremus opem, atque in eum omnem nostram sollicitudinem projiciamus, qui, ut scriptura refert, *omnibus* (Iac. 11.) *affluenter tribuit, neque improperat cuiquam*: nusquam ille nos praesentaneo suo atque divino auxilio destituet, quos ad id postulandum, quotiescumque ejus inopia laboramus, invitat: hanc ipsam divinam opem multo minori negotio proculdubio consequemur, si carissimam ejus matrem precibus sollicitaverimus, atque eo maxime interpellaverimus sermone, quem eundem, jucunditatis atque laetitiae plenissimum, Gabrielem caelestem paranympum habuisse scimus, dicentes: Ave Maria.

Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Matth. 16.

SUSCEPTA a nobis de primatu Petri in ecclesia oratio, jure quodam suo postulare videtur, ut de ipsa ecclesia sancta, catholica, et apostolica, quae eadem prorsus est cum ecclesia Romana, cujus fundamentum Petrus est, vel Christi testimonio, his verbis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, initio obiter disseramus: neque enim facile id de quo agitur constare possit, nisi prius qua ratione ecclesia haec condita, et effecta sit, probe noverimus: rem tamen universam summa quadam brevitate persequi est animus: quod praestabimus, favente Deo, modo vos sanctissimi patres, intentis animis, benevolisque adesse mihi dicenti velitis: quod incredibilis vestra humanitas, et audiendi consuetudo fore pollicentur. Inter cetera commoda quae Christus Iesus suo adventu hominibus attulit, quarum salutem anxius atque sollicitus procurabat, illud primo loco, patres, numerandum est, quod magno studio, accurataque diligentia ecclesiam in terris, erexit, confirmavit, atque instruxit, ecclesiam dico, id est, universitatem quamdam atque hominum coetum, qui Christi fidem, doctrinam, et sacramenta profitentur: in hac lapis ipse (*Ephes. 12.*) an-

gularis diruta macerie, post placatum caelestem patrem hominis culpa graviter irritatum infensum-que, utraque fecit unum, duos simul populos conjungens. Hanc legibus atque institutis vivendi, tamquam firmis ad pacem et tranquillitatem parandam, tuendamque praesidiis munivit. In eadem, eo a nobis sacrificio et agnosci, et coli voluit, quo neque majus ullum, neque excellentius a Deo optimo maximo hominibus in terris concedi potuit, sanctissimo inquam corpore atque sanguine suo panis et vini velaminibus, quasi nube obducto: quod extrema (*Matth.* 26.) cum discipulis coena instituit, et nobis mirifice commendavit abiturus ex hoc mundo ad Patrem. Haec cum nobis Christus imperet ut renunciemus (*Matth.* 12.) ecclesiae crimen fratris, qui adhibitis etiam duobus testibus nolit respiscere, non potest sensilis non putari, crepent licet ac rumpantur haeretici. Haec theologis peculiari nomine ob eam maxime rem militans vocatur, quoniam qui intra eandem existimus omnes, interim dum vita superest, quae militia (*Iob.* 7.) quaedam est, ut Iobus ait cum corpore luctamur: quod adversus (*Galat.* 5. *Sapient.* 9.) spiritum insurgit, et cum eo hostiliter dimicat, animam aggravat, et mentem deprimit, atque pessundat, et ab altera illa, quam triumphantem appellant, quoniam quae illam incolunt mentes beatæ cum corporibus expeditæ sint, et calamitatibus liberae de acerrimis humani generis hostibus securae triumphant, tantum ratione perfecti atque imperfecti discrepat: nam illa quidem, quod Theophanes docet episcopus Nicaeae, veluti gymnasium quoddam est puerorum in Christo renatorum: est enim mundus hic noster veluti domus quaedam a caelesti rege nobis praeparata ad ortum, educationem, atque omnem denique institutionem spiritalem: haec caelestium spirituum thalamus est, aspectu regis, splendore atque laetitia perfruentium.

Hinc fit ut haec nostra ecclesia non probis modo hominibus constet, sed improbis etiam flagitiosisque: est enim illa decem virginibus similis, quinque prudentibus et quinque fatuis: est sagena missa (*Matth.* 25. *Matth.* 13. *Matth.* 3. *Isaiae.* 9.) in mare, quae omne genus piscium congregat: et area, in qua existunt paleae tritico permixtae: est vinea domini sabaoth, cui uvae suppetunt, et labruscae: est denique foecundus ager bonis et malis agricolis locatus sanctarum scripturarum testimonio.

Insuper haec de qua mentionem intulimus ecclesia instar regni est, quod praeter graves imprimis scriptores sacrae nobis saepenumero literae prodiderunt: maxime vero cum regnum caelorum decem virginibus simile esse ferunt, et sagenae missae in mare: neque enim his locis regnum caelorum pro sede ac domicilio earum mentium usurpari possit, quae corporibus exemptae sunt, quasi carnis compedibus solutae, in quod, neque fatuae virgines admittantur: quae, cum sponsus venerit, horribilem illam vocem sunt audituræ: *nescio* (*Matth.* 25.) *vos*, neque malis piscibus abjectis atque ignobilibus aditus ullus patet, quos piscatores angeli postremis temporibus extra ea vascula ejectos quibus boni atque praestantes pisces concludentur, extremis cruciatibus atque malis destinabunt.

Neque vero quispiam existimet hoc ipsum Christi regnum, fraudibus hominum, dolisve usquam dissolvi, aut ulla morum pravitate in alteram quampiam reipublicae formam mutari posse: quod ceteris accidit: perpetuo salvum constet, vel scripturae sacrae testimonio de Christo loquentis (cum ait) *Regnabit in* (*Luc.* 1. *Dan.* 2.) *aeternum: regni ejus non erit finis. Potestas ejus, potestas aeterna: regnum ejus, regnum quod non corrumpetur.* Hujus rei si sacrae literae tacerent, historiae temporum testes haud dubiam fidem facere possent: quantumvis enim Christi regnum animorum tumultibus, morum perversitate, et nobis subinde opinionibus hactenus impetum sit, valide concussum, et mirabiliter oppugnatum, nusquam tamen subverti aut labefactari potuit. *Portae inferi* Christus ait, *non praevalent* (*Matth.* 16.) *adversus ecclesiam*: ipsi et jurati hostes et capitales ecclesiae, qui nostris maxime temporibus, summo pontificatui bellum indixerunt, veritati usque adeo in luce positae repugnare veriti sunt: produco in medium Bucerum, daemonis buccinam admodum sonoram. Is cum ab Henrico Angliae rege, qui pontificiam dignitatem magnopere extinctam cupiebat, rogaretur quaenam ratio iniri posset evertendi Christi regnum, et perdendi ecclesiam Dei: Nullam, inquit, excogitare queas o rex nisi prius Christum Iesum ejus conditorem servatoremque de medio abstuleris.

Neque abs re, mea quidem sententia, hanc prae ceteris vivendi normam probavit caelestis legislator, et in ecclesia sua retineri, et ab hominibus servari exactissime praecepit. Gravissimorum philosophorum, qui de republica nobis praecepta tradiderunt, sententia est, si unus quispiam dari possit, qui rebus omnibus quae sunt ad apte moderandum imperium necessariae, abundaret:

et munere atque officio suo recte defungi perpetuo posset, qui prudentia summa valeret: summum iudicio: scientia rerum insigni imbutus: et ceteris animi atque corporis ornamentis praeditus quae regiam dignitatem decent; eam maxime regendi et gubernandi formam tenendam esse, in qua unus semper imperat: parent ceteri. Sed quoniam difficile admodum, aut potius minime unus aliquis usquam reperitur, qui tot ac tantis maximarum virtutum laudibus sit cumulatus, tamquam secunda navigatione minimum malorum eligimus, probamusque illam, sequimurque gubernandi rationem, quam plures boni atque sapientes viri exercent, qui se mutuis operis adiuvant: ut unius diligentia, strenuaque virtute, alterius negligentia, atque animi vitium compensetur. Cum igitur Christus Iesus regno suo perpetuo adsit, patrocineturque, quod illis est verbis pollicitus: *Ego vobiscum sum* (Matth. 28.) *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: cum paracletus Spiritus testatur, cum ait: *Paracletus* (Ioan. 14.) *autem Spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia*, cum vicario suo in terris Christus firmitatem in fide, constantiamque promiserit, dicens *Ego* (Luc. 22.) *orabo pro te, ne usquam deficiat fides tua*: cum instruendi, et confirmandi ceteros omnes eidem facultatem fecerit, aiens: *Tu confirma fratres tuos*, cum sit ille fundamentum ecclesiae, adversus quam portae inferi, id est, impietatis et flagitii genus omne, nusquam praevalerunt, quantumvis illam violenter impetant, et coniuratis animis aggrediantur, dubium non est, quin ecclesiam Christus instituerit instar regni, in qua unus ceteris imperet, cum hic unus quisquis sit nusquam perniciose labi possit, tunc maxime, cum ex officio res tractat ecclesiae, quae vel ipsam fidem attingunt, vel morum generalia condit decreta, insuper hac potissimum ratione unitas corporis mystici, tantopere apostolis, et sanctis patribus probata, commendataque servatur.

Qua fiducia erecti, si studio verae pietatis incensi sumus, tametsi omnia haereticorum sectis atque blasphemis turbata videamus, nunquam animos demitemus: sed tunc vel maxime divinum nobis auxilium adfuturum confidemus, et in summa rerum desperatione, praesertim, si humanae vires expendantur, ad firmissimam spem salutis erigemur: huic amplissimo regno suo beatum Petrum ex sacro illo senatu delectum, et accuratissime imbutum caelesti magisterio Christus praefecit: qui tametsi multa habeat cum ceteris regibus communia, illud habet procul dubio peculiare atque suum, quod cum ceteri reges auctoritatem suam, id est, vim gubernandi atque agendi a republica susceperint, cui natura concessum est, regem creare: Petrus atque etiam in eo ceteri omnes summi, maximique pontifices proxime a Christo auctoritatem et facultatem regendi susceperunt. Quam deinde praecipuis ecclesiae membris, episcopos et presbyteros intelligo, distribuunt, ut jam istam pascendi vim non in ecclesia Petrus, sed in Petro potius ecclesia coepisse videatur: super hunc Petrum, tanquam supra firmam petram Christus aedificavit ecclesiam suam: huic caelestis regni claves dedit, symbolum regiae facultatis atque potentiae: hujus eam dignitatem in ecclesia esse voluit, ut ratum atque firmum in caelis sit habiturus quicquid ille in terris probarit. Is Christi vicem gerit in terris tanquam mortalis Deus: is denique primatum, atque imperium in universalem ecclesiam tenet: neque modo honore et dignitate ceteros omnes, qui sunt in eadem longo intervallo exuperat, et antecellit, sed etiam facultatis regendi et gubernandi proram et puppim tenet.

Hujus sententiae, si divinam ipsam legem diligenter inspicere velimus (ut interim ejus interpretes sanctissimos atque doctissimos viros missos faciamus) non obscura passim adversus depravatores verbi Dei argumenta reperiemus. Ne tamen de re ad propositum maxime necessaria nihil omnino dixisse videamur, nonnulla obiter in memoriam vestram referemus, quae convincendis haereticis hac parte satis esse queant: nisi illi more suo adversus manifestam veritatem admodum repugnantem animum gerant: vos me, ut coepistis, patres, patienter audite: ego vos audiendi fastidio brevi liberabo.

Imprimis huc spectat quod Christus Petro inquit: *Ne* (Matth. 17.) *scandalizemus eos*, qui tributum inquam petebant, *vade ad mare* et eum piscem qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens, *da illis pro me et te*, quemadmodum enim pro se ipso, quod pater familias esset Christus didrachmam pependit, ita etiam cum Petro porrigi jubet, eundem patremfamilias declarat, et ceteris praeficit, quod Augustinus, Ambrosius, et Cyrillus magni viri nobis retulerunt. Accedit ad hoc quod cum Matthaeus evangelista duodecim apostolos nominatim recenseret, principem locum Petro tribuit, dicens: *duodecim* (Matth. 10. Ioan. 10.) *nomina apostolorum haec sunt, primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus, cum enim prior An-*

dreas quam Petrus ad apostolatam vocatus sit, quod ex Ioannis evangelistae historia liquido constat, non potest primus vocatione Petrus existimari, sed dignitate atque honore. Deinde, cum in omni fere sermone quem Christus contulit cum apostolis suis, et roget Petrus et respondeat, neque suo tantum nomine, sed etiam ceterorum apostolorum, quod vel eo argumento convincitur, quoniam interrogante Christo: *Vos autem* (Matth. 16.) *quem me esse dicitis?* unus Petrus subiungit: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Dubium esse non debet, quin Petrus caput ecclesiae et princeps reliquorum sit constitutus.

Praeterea principis officio ceteris praesentibus defunctus, postquam in aethereas sedes Christus remeavit, quod ille temere nusquam usurpasset; cum enim de (Act. 1. 2. 5. 8. 10. 13. etc.) creandis in locum Iudae apostolo ageretur, exurgens Petrus in medio fratrum dixit: *Viri fratres*; in die penitencostes ille unus ceteros omnes a crimine quod illis inurebatur defendit: ille unus tamquam iudex a Christo delectus, spectantibus ceteris Ananiam, et Saphiram capite damnavit: ille unus Simonis Magi teterrimum vitium verbis acerrimis reprehendit: ille unus in ecclesiae gremium gentes admittere iussus est: cum conspecto linteo, in quo omnis generis animalia cernerentur, illam vocem auribus hausit: *Surge Petre, occide, et manduca*: denique ille unus in concilio apostolorum de cessatione legalium auctor sententiae fuit, quod est hominis in ecclesiam tenentis imperium.

Hanc supremam dignitatem et potestatis amplitudinem, quam Christus Petro pollicitus est post magnificam illam atque divinam vocem: *Tu es Christus filius Dei vivi*, quam emiserat, rogatus cum ceteris: *Vos autem quem me esse dicitis*, postquam se a mortuis excitavit, Petro in manus dedit: ne quispiam existimare posset ullo pacto, ab eadem excidisse, quod qua nocte ad mortem vitae magister ductus est, eundem abnegasset, atque id sane, verbis iam patrum obscuris, ut nisi qui pertinaci animo contendat, omnes procul dubio dicturi sint, summam a Christo in ecclesiam suam Petro potestatem, et agendi vim esse concessam, cum inquit: *Pasce* (Ioan. 21.) *oves meas: pasce agnos meos*: nam quia Petro, atque in eo ceteris omnibus summis pontificibus simpliciter, *Pasce*, ait, haud dubie significat, tunc a se omne genus pastus exhibendi, uni, cui loquitur his verbis Petro committi? atque imposterum debere penes pontificem maximum residere: et cum *oves* nomet, universos procul dubio Christianos intelligit: ecclesias etiam omnes, atque hominum Christianorum coetus, eximit nullum, juxta tropum sanctarum scripturarum. Pascere enim, quo verbo in praesentia Ioannes evangelista usus est, regere et gubernare est ex natura verbi ipsius: unde fit ut ad reges quoque, et principes gentium pertineat haec vox quos ethnici scriptores, sed imprimis Homerus, pastores populorum appellaverunt. Nam quemadmodum pastores, ovium commodis diligenter invigilant, ita quoque principes atque reges non tam suae utilitatis studiosi esse debent, quam gentium et populorum sibi subditorum.

Hujus sanctissimi regni habenas, ut id quoque obiter dicam, patres, non ante Petrus accepit, quam familiariter cognitum, et longis ac magnis experimentis probatum, dignum Christus iudicaret, qui peram et baculum pastoralis indicia dignitatis teneret. Neque enim temere quispiam, sed magno potius iudicio ad pascendum gregem domini admitti debet. Igitur cum caelesti magisterio Petrus imbutus esset, atque strenue multos annos sancti Spiritus disciplina eruditus: plenam tandem pascendi potestatem accepturus, duarum clarissimarum virtutum fidei videlicet et caritatis, quibus ceterae omnes maxime continentur, publica documenta exhibuit: fidei quidem, ubi rogatus a Christo: *vos autem* (Matth. 16. Ioan. 21.) *quem me esse dicitis*, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Caritatis vero, cum eodem interrogante, *Petre diligis me plus his: Tu scis domine* respondit, *quia amo te*: utraque autem virtus tanto splendore enituit, atque effulsit in Petro, ut ob eam rem summis encomiis hac divina Christi voce eundem celebratum esse sciamus: *Beatus es Simon Barjona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in caelis est*. Caritatis similiter a Christo Iesu magnificam admodum his verbis laudem tulit, *cum esses junior cingebas te, et ambulabas quo tu volebas: cum autem senueris, extends manus tuas, et alius te cinget*: quibus pro evangelio mortem esse appetiturum Petrum declarat: qua una caritate nulla major fingi possit.

Et sane rationi videtur nimium consentaneum, ut qui auctoritate, dignitate atque honore ceteros omnes plurimum exuperat, duabus his, ut ceteras taceam, excellentissimis virtutibus plurimum polleat: quarum Petrus verbis modo, ut attigimus, sed re quoque ipsa insigne orbi terrarum reliquit exemplum, atque specimen praebuit: dum abominandam illam Simonis magi haeresim detegeret, convinceret oratione, et virtute caelesti dissiparet, et lumen verbi Dei praedi-

catione sua latissime propagaret, rebusque omnibus, quae ad ecclesiam, quam moderabatur, pertinerent, praeclarissime compositis a carnificibus saevis, immanissimisque tyrannis, tandem impetravit, ut capite in terram verso crucifigeretur, quod se indignum putaret, ac diceret qui eodem prorsus mortis genere cum vitae magistro et servatore interimeretur.

Tales in ecclesia sua Christus pontifices requirit qui fidem quam docendo praestare debent, et cum caritate, quae ad regendum magnopere necessaria est, incensi sint, et studio pietatis inflammati, diligentia atque industria prosint plurimum. Tales etiam hactenus ecclesiae Romanae pontifices, et moderatores contigerunt, praesertim vero his temporibus, cum divino beneficio perturbatis et afflictis rebus, haereticorum fraude atque dolis sanctissimus Pius quartus datus est, pontifex vere pius: cujus egregia fides tam longe et late emicat: tam sese ingerit omnibus sponte sua, ut nihil ardentius fugiat, aut vehementius, quam schismata, haeresimque saevissimam ecclesiae pestem detestetur: cujus radicitus evellendae causa sacram istam synodum indixit: quem zelus domus Dei usque adeo mirabiliter comedit atque exedit, ut deformatam aetatis decursu vivendi normam, et private bullis editis, et publice in concilio vestro, ad pristinum nitorem, quantum fieri possit, studeat revocare, atque id tam magnis conatibus, tamque impotenti animo, ut neque sumptibus ullis, neque labori, neque si res postulet, saluti aut vitae parcat, ut miserae et calamitatibus graviter oppressae Christi sponsae opituletur. Caritas vero in eo tanta est, ut etiam episcoporum inopiam suis facultatibus liberaliter sublevet, quo commodius Tridenti sumptus tolerare queant: tolerantia praesertim perferenda, quae a sceleratis atque impiis hominibus in eum passim jactantur, quantam vix quisquam possit cogitare, et quod in eo omnes mirari maxime solent, atque ego eximia quadam laude dignum puto, rebus atque verbis passim ostendit nihil esse sibi uce veritatis antiquius, quam ex profundis tenebris, quibus illa sepulta jacet, in aspectum hominum producere, ac revocare strenuissime laborat.

Ad hujus vigilantissimi atque admodum strenui pastoris exemplum, aequum est, ut pastores gregis domini, quotquot sunt, vitam instituant et componant suam: hunc pergant exprimere agendo, si sibi ipsis, si gregi sibi commisso, si muneri denique atque officio suo bene consultum volunt: habent in eo quod laudare jure queant atque imitari si velint: tam diu autem velle debent, quam diu eosdem hac in re profecisse non poenitebit. Quamquam autem perpetuo vobis patres enendum sit, ne quid usquam detrimenti respublica Christi, ne quid detrimenti patiantur ejus oves, vestrae curae atque industriae commissae a summo pastore, et Christi vicario in terris pontifice Romano: nunc profecto laborandum est maxime, cum pro incolumitate, atque salute ecclesiae totius sacros conventus celebratis, ut vetus disciplina stabiliatur: ut contractae in ecclesia sordes abluantur, ut splendor quarumdam legum, quas nostra flagitia offuscaverunt, orbi Christiano restituantur: ut perversa his temporibus dogmata ab impiis sparsa plocul ablegentur, denique ut qui sensim in ecclesiam sanctam abusus irrepserunt, salvis semper rebus, de medio tollantur, id nisi praestiteritis, patres sanctissimi, frustra ecclesias vestras deseruistis, frustra tam longa itinera, et terra marique periculosa suscepistis: frustra tot sumptus facitis, frustra denique vos curis et sollicitudinibus Tridenti conficitis.

Ceterum in ea re praestanda (quod dicam cum bona vestra venia) patres, non tam vobis inspiciendum est, quid expediat in reipublicae Christianae gratiam his sacrosanctis comitiis vestris statui, quam quid illa commode ferre valeat, quid ferre recuset: cum enim in ecclesia Christi, perinde atque in quavis alia republica, varia variis temporibus conveniant, et accommodata sint, unde in conciliis saepenumero orta varietas, et decretorum atque legum tam varia extilit copia, magnopere temporis ratio in novis legibus ferendis, aut antiquis et obsoletis in usum revocandis, habenda est, decrepitam aut potius senio confectam cernitis ecclesiam: nos enim procul (1. Cor. 10.) dubio sumus in quos fines saeculorum devenerunt, consulite ecclesiae ut seni, consulite ut decrepitae, quae neque laborem juventulis ferre possit, neque cibum perinde sumere, conficereque, ut cum aetate atque viribus praestabat: senem non decet quivis color, non quivis ornatus decet, morbo pene absumpta est, proinde caute atque prudenter illam curate, perniciosos humores redundantes, potentiori pharmaco excitati, ecclesiam, quantum in se est, obruant, pessudent, atque conficiant: sensim, et longo tempore contractus morbus, sensim et longo tempore pelli debet.

Ne igitur tam solliciti sitis quo pacto pene amissa jam recuperari possit, atque in pristinum statum restitui, quam ut praesentem quae tota praeceptis ruere quotidie videtur, servetis. Satius

est enim esse ubi nunc respublica Christiana est, quod de sua quodam Cicero aiebat, quam ut dum illam veterem sequimur, simus in nulla: semper autem vobis, patres, cavendum est, quod cavetis diligenter, ne praeter modum exaggeratis peccatis, prodi ecclesia hostibus suis, atque ejus princeps, et communis omnium nostrum parens traduci aut infamari videatur: hunc ipsum cursum rerum si tenere in negotiis tractandis et servare volueritis, plurimum sane proficietis: Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam, ipse conatus vestros perficiet, confirmabit, solidabitque ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

XVI.

SERMON EVANGELICO PREDICADO POR EL P. JUAN BAUTISTA BURGOS AGUSTINO.

NATURAL DE VALENCIA, DOCTOR EN TEOLOGIA Y CÁNONES, EN LA DOMINICA III DE ADVIENTO, 13 DE DICIEMBRE DE 1562.

De quatuor extirpandarum haeresum praecipuis remediis.

Conscius ipsi mihi imbecillitatis meae, illustrissimi atque amplissimi apostolicae sedis legati atque cardinales, oratores clarissimi, et vos patres dominici gregis pastores ornatissimi: veritus etiam loci hujus praestantiam et sanctitatem, facile animum despondissem, nisi me vox illa Pauli, quam, et mei hodie, et omnium auribus inculcat ecclesia sacrosancta, magnopere recrearet. *Gaudete*, ait apostolus *in domino semper, iterum dico gaudete, dominus enim prope est*. Quid enim obsecro gratius? quid jucundius? quodque mihi plus animorum et virium suppeditaret, audire possem, quam, dominus prope est? hanc vocem (ut verum fatear) quamprimum audio, videor mihi mox respirare, et conceptum de vestro conspectu, summaque doctrina, tantoque de me apud vos iudicio metum sensim excutio. Sed quid ego hodie timeam? dominus prope est, cujus ope, quam mihi affuturam confido: vestraque fretus humanitate, quam esse eximiam satis scio, conabor honorificam illam ad Ioannem Baptistam missam legationem, (cujus hodiernum alterius Ioannis evangelium meminit) explicare: modo primum ab ejusdem Baptistae praedicatione, quae hinc legationi occasionem praebuit, initium sumpsero. In his itaque explicandis dum totus versor, de quatuor etiam extirpandarum omnium haeresum praecipuis remediis (quod proprium erit nostrae hujus orationis argumentum) theologus potius, quam orator sum verba facturus. Spero autem vos pro summa vestra benignitate affuturos mihi animis, sicut adestis corporibus, et quam alias mihi saepe apud vos de dogmatibus, articulisque propositis disputanti, praebuistis attentionem, eandem hodie rem, non minus gravem tractanti, esse cumulatus praestaturos.

Quae de Ioannis Baptistae praedicatione Ioannes ille evangelista compendio scripsit, haec ipsa Matthaeus eodem illo, quo et Ioannes afflatus spiritu, protulit explicatius: *In diebus illis (Matth. 3.) venit Ioannes Baptista praedicans in deserto Iudaeae, et dicens. Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum*. Quo quidem in loco Matthaei, dignum plane id fuerit, quod examinemus de quibusnam diebus, quae de Ioannis adventu Matthaeus profert, sint intelligenda. Namque cum expressisset prius Matthaeus tempus, quo puer Iesus Aegypto rediens, habitavit Nazareth; mox quasi repente Ioannis memor, adjunxit. *In diebus illis, etc.* Non est ergo cur ad praeteritam narrationem quae de Ioanne dicuntur, qui post annos plusquam viginti visus est mundo, possint referri. At praeterquam quod eum esse scripturarum morem, etiam Chrysostomo teste, satis sciam, ut loquantur saepe, veluti continuato narrationis ductu non solum cum ad praeteritam narrationem aliud continuo tempus adjungitur, verum cum ea narrant, quae post multorum annorum spatia, contigerunt: aliud tamen quidpiam, quod ad Ioannis etiam dignitatem maxime pertinet, ex verbis illis colligendum existimo. Cum enim ita nude, atque jejune Ioannis negotium Matthaeus aggreditur, dicens. *In diebus illis, perinde est, mea quidem sententia, ac si diceret: Appetente jam tempore, quod*

aeterni summa benignitas, agnoscendae filii sui potentiae, divulgandis miraculis, cogendis discipulis, publicandae doctrinae, ac demum, ut uno verbo dicam, nostrae salutis, absolvendis negotiis, jam ante praefixerat. Ecce jam mundo, ecce in diebus illis apparet Ioannes. Coepit ejus adventu caelum albescere, veniente Sole justitiae, venit praeco ante judicem, dux ante regem: *venit Ioannes*. Ioannes inquam, clarissimis ortus natalibus, qui nondum editus in lucem, quin potius adhuc intra materni uteri angustias delitescens, divinis illis muneribus, ac sacramentis fuerat institutus, et auctoratus: qui vitam agens plusquam humanam epulis, atque adeo ipso victu neglecto, vel ab ineunte quidem aetate hominum consortia fugiens, eremum incoluit, qui nova illa ex camelorum pilis contexta veste induebatur, qui demum zona illa cingebatur pellicea: Ille, inquam, tantus, magna cum omnium admiratione prodit in publicum. *Venit*, inquit, *Ioannes praedicans in deserto Iudae*. O miram Dei sapientiam, ac majestatem. Non quaerit statim initio Deus suo prophetae frequentem ullam discipulorum scholam, non magnum admodum populorum concursus: *Praedicat in deserto*, ubi non multo ante qui reperiabantur, dabant seditionis poenas ac trucidabantur, tamquam essent adhuc factionis et seditionis Theudae illius Iudaeque Galilaei participes, atque superstites. *Praedicat*, inquam, *in deserto*, non quidem vulgare aliquid et usitatum: non praelia, non victorias, non urbis excidium, aut id genus alia, quae soliti erant Iudaei audire, sed poenitentiam, regnum caelorum, peccatorumque confessionem, res certe mundo tunc recens auditas, ac plane novas. O mirum negotium, in tuam, o Deus, referenda sunt omnia, sapientiam ac providentiam. Brevi admodum fit, ut exiret ad Ioannem omnis Iudaea et Ierosolyma omnisque regio circa Iordanem.

Perferuntur Hierosolymam tot rerum omnium novitates, et in eo tempore perferuntur, quo de Messiae adventu frequens admodum apud Iudaeorum peritos habebatur mentio, assiduaque disputatio. Atque adeo increbuerat fama, ut eum, aut jam omnino venisse, aut venturum quidem proxime, uno omnes ore confiterentur. Quid tum? Erat Hierosolyma civitas, ut alias ejus laudes omittam, scientiarum gloria celeberrima, ubi gymnasium publicum, ad quod tamquam ad mercatum scientiae, legis, et prophetiarum cupidi undique confluebant. Erant, et ibi professores insignes, discipuli proveci, eruditissimorum virorum exercitatio frequens, multitudoque copiosa. Qui quidem audita fama Ioannis, rebusque ab eo gestis, *Miserunt* inquit evangelista, *Iudae ab Ioan. I Hierosolymis*, inlyta quidem civitate, non faecem plebis, non homines infimae sortis, sed omnium maximos, et praestantissimos, nimirum sacerdotes et levitas, nec ex quavis quidem illos secta delectos, sed ex ea, in qua Paulus gratulatur sibi vixisse. *Nam qui (Art. 26. Ioan I.) missi fuerant*, ait evangelista, *erant ex Pharisaeis*. Sed, quid obsecro, erat illis negotii cum Ioanne? *ut interrogarent*, inquit, *eum, qui es?* Multa quidem, ad investigandam Pharisaeorum mentem hoc loco excogitari a doctoribus solent, ego autem, patres, in explorandis eorum animis, non morabor: neque enim sum cordium inspector, ac scrutator. Scio non desunt gravissimi quidem, et magni nominis viri, qui in hanc partem, qui in illam Iudaeorum animos referant. Ego tamen, illa omnia investigatione, eorum factum considerans, tantum abest, ut improbem, ut etiam ejus esse rationis existimem, a quo ecclesia universa non aspernandam doctrinam, primumque extirpandarum omnium haeresum, remedium petere possit.

Est autem illud, ut in explorandis et inquirendis initiis novitatum, quamprimum insurgunt, summa et prompta diligentia adhibeatur. Non est, patres, non est pastoribus ecclesiae, non regibus, non magistratibus, non principibus segniter dormiendum: aliis enim cura, aliis vero protectio, et conservatio ecclesiae sacrosanctae committitur. Sed simul atque oriri vident dissidentium opinionum sectas, quae tamquam procellae horribiles, Petri naviculam, quae non dabit unquam latus, aut sumergetur, invadunt, tamquam gubernatores periti, ac vigiles explorare debent et inquirere, vocalis etiam ad eam rem, qui opem ferant, omni cura ac diligentia interrogare, quid hoc est rei? tu quis es? et qua fieri poterit celeritate, malorum initiis obviam ire. Nostis illud divi Hieronymi, *Arius scintilla fuit*, etc. Scitis illud Pauli, de subintroducitis falsis fratribus: *Quibus*, inquit, *ne ad horam (Galas 21) cessimus subjectioni*, ut veritas evangelii permaneat apud vos. Clamat sponsa, clamat ecclesia: *Capite nobis (Cant. 2. Iudic. 21.) vulpes parvulas*, quae demoliuntur vineas: parvulas, inquit, ne si succreverint, alligatis caudis, hoc est, viribus auctis, adultas segetes, id est, vel viros quidem, etiam magni nominis, et insignes perdant. Non est quod hoc loco, ubi compendio dicere cogor, veteres historias nimia prolixitate commemorem.

Etenim si a Lutheri pestilentissimis illis initiis ad nostra usque moestissima et infelicissima tempora omnium calamitatum, infortuniorum, injuriarum ac vulnerum, quae afflictae ecclesiae contigerunt, ratio habeatur, inveniemus profecto tot, tantorumque malorum praecipuam causam fuisse, quod

non fuerint, qui possent, cum id vehementer optarent, aut neglexerint quidem, quibus erat auctoritas atque facultas, malorum iniitiis obviare. Fuisset quidem Gallia felicissima, quam modo tot calamitatibus affectam non sine lacrymis audivimus, nisi mors praeceps Henricum illum Christianissimum regem, et proprio regno, et ecclesiae universae commodis iam subito rapuisset. Fuisset etiam non minus felix, si vel Franciscum quidem Henrici filium, religione et pietate patris heredem, saltem usque ad maturam aetatem Caroli fratris, cui precamur omnia prospera, superstitem reliquisset. Fuisset, non dubitamus, tantorum virorum industria et diligentia, summis illis malis, quae modo patitur praeservata.

Hoc uno remedio, nimirum diligentia, sedati sunt (Christi gratia) apud Hispaniam nostram de religione concitati tumultus, quod factiosi quidam hominum seductores apud Vallem Oleti, et Hispanicam excitant. Siquidem rex noster Philippus, Caroli illius imperatoris, invictissimi, Christianissimi, ac vere catholici filius, paternaeque pietatis, et virtutum imitator, et heres, post suum e Flandria in Hispaniam reditum, adversus grassantem jam illam haeresum pestem, tantum celeritatis et diligentiae, quantum vel dici quidem potest, studuit adhiberi. Et ita factum est, ut brevi, qui apud inquisitionis tribunal rectissimum, admissae ullius haeresis facti sunt rei, ii quidem, aut morte damnati, ignique traditi, aut publicatis eorum bonis, et aliis etiam poenis affecti, propriae darent improbitatis et impietatis meritas poenas. Nec conquievit quidem tanti regis pietas, atque religio, quin potius regia auctoritate dignum putavit, quo primum die adversus Vallis Oleti haereticos ferebatur sententia, gravissimum illud de religione iudicium praesentia sua ornare, et illustrare. Atque adeo in conspectu omnium fere principum Hispanorum, totiusque regni, sacrosanctae Romanae ecclesiae perpetuum obsequium atque auxilium etiam, cum vitae et rerum discrimine iurejurando promisit. Quod quidem vere regium, et Christianissimum factum ceteri principes, et regni magnates sunt et admirati et imitati. Iam vero ad Iudaeorum factum redeuntes, salis videtis, patres, non esse, cur ipsum omnino improbemus ac respuamus, sed dignum potius esse existimemus, quod ecclesiae nostrae proceres imitentur. Quid autem Iudaeorum legis esset mandatum, evangelista praenunciat: *Ut interrogarent eum, tu quis es?*

Utinam, patres amplissimi, hanc ipsam legationem, eorum quisque qui ad clavum et gubernacula ecclesiae sedent, ad semetipsum subinde mitteret, ac interrogaret frequenter: *tu qui es?* non dudito, quin hac ratione praeclare satis ecclesiae commodis atque saluti consuleretur. Nosti scio, o pastor ecclesiae (vestrum cuius loquor, patres, non aliis) *tu quis es?* Responde, tu ipse, rogo, ut, vel ex proprio tuo ore discamus, quis sis. Is sum certe, dices, cui, et mei ipsius, et omnium ovium quas mihi Christus servandas commisit, et quas idem proprio sanguine comparavit, reddenda est ratio exactissima. O praeclara confessio. Quid tum? Is sum, itidem dices, qui quanto in loco superiori sum constitutus, tanto in periculo versor majori, recte, sed perge, *quis es?* Is sum praeterea adjunges, ad quem afflicta ecclesia, nisi ejus protectionem et causam suscepero, perpetuo clamat: *Si inimicus (Psal. 34.) meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanims, dux meus, et notus meus.* Nostis reliqua, finiamus tandem, obsecro: *tu quis es?* Is sum demum, inquires, qui mihi videor audire summi Dei, qui me ad tantum dignitatis gradum evexit, horrendam comminationem: *Vae tibi (Matth. 22.) Corozaim, et vae tibi Bethsaida.* Satis. Cura ergo, quisquis es, qui te intus, et in cute nosti, imo vero curate omnes, quotquot estis, ut ecclesiasticae disciplinae aliquot jam saeculis lapsae restitutio, depravatorumque morum emendatio, quam reformationem dicimus, quamque diu satis in ore tantum versamus, prodeat tandem, atque in omnibus reipsa appareat.

Hoc est enim eradicandarum haeresum, quibus ecclesia magnopere molestatur, remedium secundum, nec quidem vulgare, ex eadem interrogatione, deductum. Hanc petit, optat, atque expectat ecclesia universa: hanc ipsam vel hostes ecclesiae instanter efflagitant. Neque enim vobis e it difficile admodum hac in re omnibus satisfacere, si hanc nostram ecclesiam sponsam, filiamque vestram ad veterum canonum normam effingere contenderitis. Non est necesse nova reformationis edere instituta, vetera restituite, quorum robur, vis, et observatio, quantum pedetentim languescere coeperit, et nos videmus, et vos probe nostis. Iam nunc, quid Ioannes respondeat, audiamus: *Confessus est, inquit, et non negavit. Confessus est, quia non sum ego Christus: Es ne Elias? non sum Elias. Es ne propheta? non sum propheta.* Quorsum obsecro, negatio ista toties repetita. Considerate, precor, patres, atque hoc ex loco, deprehendite, quanto intervallo improbi a probis, et animales (ut Paulus ait) homines a spiritualibus (1. Cor. 2.) distent. Siquidem illi cum de

dignitate et gloria agitur, sibi plurimum arrogantes, pleni perpetuo sunt affirmationibus. At contra isti, minimum sibi numquam non tribuentes, negationibus. Observate, obsecro, quid primus ille superbiens angelus, affirmando cogitat. *In caelum* (Psal. 54.) *conscendam, sedebo in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo*. Quid item primis parentibus, affirmando persuaserit: *Eritis sicut* (Genes. 3.) *dii, scientes bonum et malum. Aperientur oculi vestri*. Videte tandem quid elatus ille Pharisaeus audeat affirmare: *Iejuno bis in sabbato, decimas* (Luc. 13.) *de omnium quae possideo, omnibus antecello, quippe qui non sum sicut ceteri homines, ac velut etiam hic publicanus*. At contra publicanus, jam quidem coram domino justus, stans a longe, percutiebat pectus, ac si diceret, non sum dignus, qui audeam vel oculos quidem ad caelum levare. Quid Paulus, vas electionis? *Minimus sum* (2. Cor. 5.) *apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus*. Quid ille centurio a Christo laudatus? *Non sum* (Matth. 8.) *dignus, ut intres sub tectum meum*. O magnum Baptistam. *Non sum ego Christus*, magnam plane in re omnium praestantissima, confessionem. *Non sum Elias*. Cum jam ut angelus praedixerat, praeiret Christum *in spiritu et virtute Eliae*. Non sum propheta, cum esset Christi voce denunciatus *plusquam propheta*. In summa, tam sum apud me vilis, et parvi momenti, ut dignus non sim, qui ejus qui medius vestrum stetit, et quem vos nescitis, solvam corrigiam calceamenti.

Quis ergo es o Ioannes? *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domini*. Salis superque notis, patres, quidnam inter verbum, et vocem intersit, ac proinde quam optima ratione sese Ioannes vocem appellet, aut vocis fungatur officio, facile fuerit indagare. Sequor hoc loco Augustini parentis nostri interpretationem, esto sciam aliam esse apud nonnullos horum verborum constructionem. Principio, sicut verbum corde prius conceptum, vocis deinde adminiculo aliis explicatur: Sic etiam verbum illud aeternum quod erat in principio apud Deum, nec adhuc hominibus notum, digito simul et voce Ioannis ostenditur mundo; *Ecce* (Ioan. 2.) *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Deinde quamvis verbum cogitatione comprehensum voce, qua exprimitur prius audimus, quam verbum percipiamus. Audi, rogo, Ioannem in evangelio: *Qui post* (Ioan. 1.) *me venturus est, ante me factus est*. Quam scripturae phrasim idem evangelista protulit explicatius. *Prior me erat*. Vides Christum manifestatione, propria praedicatione, baptismi etiam proprii publicatione, Ioanne posteriorem: Vides et eundem Christum, verbum Patris, aeternumque Filium, multo priorem, ac digniorem Ioanne. Postremo, vox sine verbo res est inutilis. Ita sane si Ioannem a Christo sejunxeris, nihil est prorsus Ioannes. Rursus si a baptismo Ioannis, Christi baptismum separaveris, nihil plane profuerit. Audi Ioannem in evangelio. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? Ego, inquit, baptizo vos aqua*. Et, ut alibi dixit, *ille vos baptizabit* (Matth. 21.) *in Spiritu sancto, et igni*. Ego, vox, non, inquit, clamans, sed *clamantis*: ut vel hac ratione discamus quantum honoris, quantumque reverentiae evangelicae praedicationi, catholicisque concionibus ab omnibus debeat. Cum enim audis hoc ex loco concionatorem, etiam clamoribus raucum, non est quod existimes ejus esse vocem, qui loquitur, sed Dei. *Dabit, inquit propheta, Deus* (Psal. 67.) *voci suae, hoc est concionatori clamanti, vocem virtutis*. *Gratias ago Deo meo*, inquit Paulus, *quia cum* (1. Thes. 2.) *accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud: non ut verbum hominum, sed, ut vere est, verbum Dei*. Vide quid in mentem venerit (1. q. 1. cap. interrogo.) Augustino. Interrogo vos, inquit, fratres et sorores, dicite mihi, quid majus videtur vobis, corpus Christi? Si vultis vere respondere, hoc dicere debetis, quod non sit minus Dei verbum quam Christi corpus. Et tandem, ex his colligit, dicens: Non minus erit reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quam qui Christi corpus negligentia sua in terram cadere permiserit.

Hanc concionum frequentiam, patres, curandis Christianae reipublicae vulneribus utilissimam, tamquam tertium destruendarum omnium haeresum remedium, habendam putarem, modo ejus generis sint, quae in publicam audientium utilitatem, non vanam concionatoris gloriam, referantur. Duo sunt, patres, audite, rogo, vera loquar oportet, quae me admodum torquent, et excruciant, quibusque moneo, rogo. ac per viscera Iesu Christi obtestor, remedium adhibeatis. Alterum quidem est, quod apud aliquas regiones, ne dixerim has vestras, sic parum sunt conciones frequentes, ut una tantum quadragesima excepta, atque utinam ea cum fructu peracta, vix, aut ne vix quidem, reliquo anni tempore conciones audiantur. *Rogate, inquit Christus, dominum* (Marc. 9. Act. 1.) *messis, ut mittat operarios in messem suam*. Non enim est aequum, dicebant apostoli, *nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis*. Paulus (1. Tim. 4.) etiam ad Timotheum scribens. *Attende, inquit, lectioni, et exhortationi, et doctrinae*. Et alio loco: *Tu vero* (2. Tim. 2.) *vigila, et in*

omnibus labora. opus fac evangelistae. Alterum vero dolendum illud quidem maxime est quod astutia satanae tantum potuerit apud quosdam concionatores, ut his omissis quae sunt ad salutem populi praestandam necessaria, in explicandis solum inutilibus quibusdam quaestionibus, scholis potius, quam huic loco accommodatis, omnes ingenii nervos perpetuo intendant, obliti proprii muneris. Quod quale sit Deus optimus maximus apud Hieremiam his verbis aperte demonstrat: *Constitui* (Hierem. 1.) *te super gentes et regna, ut evellas, et destruas, ut aedifices, et plantes.* Quantum autem concionum frequentia Christianae reipublicae afferat, tum dignitatis, tum utilitatis, ne id, quod adest, aliunde quaeramus, ex Roma vestra sanctissima, omniumque civitatum longe praestantissima, vos ipsi colligite. Audio enim postea quam coeperunt esse apud eandem, ut modo sunt, conciones frequentes, fuisse simul cum eisdem concionibus, et populi pietatem majorem et ad sacram eucharistiam accessum multo quam antea unquam fuerat, frequentiore. Singulare profecto omni tempore, adversus haereses remedium, quo uno etiam, veluti quodam clypeo sese hactenus Hispania nostra protexit, quominus, aut ab haereticis, aut schismaticis lethale aliquod vulnus acceperit. His armis nimirum concionum, et praelectionum frequentia, adversarii nostri nos maxime oppugnant, tantaque id conantur efficere diligentia, ut ad extremas usque, et barbaras nationes, o nostram confusionem, suos miserint concionatores.

Quid autem sit in hujusmodi concionibus publice asserendum, ut omittam interim *quinque illa* Pauli apostoli *verba quae* (1. Cor. 24.) *optat, ut idem ait, suo sensu loqui,* nimirum quid credendum, quid agendum, quid vitandum, quid sperandum, quid timendum. Quae utinam plebis universae auribus perpetuo inculcarentur. Ex solo tamen Ioanne nostra illa hodie colligamus. *Ego,* inquit, *vox clamantis in deserto, dirigite viam domini, dixit Isaias propheta.* Consulamus igitur Isaiam prophetam; is enim docebit nos, quonam pacto viam domini dirigere debeamus. *Omnis vallis,* inquit Isaias, *exaltabitur, et omnis* (Isaia. 40.) *mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.*

Ex his Isaiiae verbis, patres, dum docemur quemadmodum viam domini dirigamus, quartum quoque et ultimum evellendarum haeresum remedium, alioqui inter praecipua numerandum, recte colligimur. Id igitur esse existimo, providam et consideratam eorum qui digni sunt promotionem ad ecclesiastica sacerdotia. Quod quidem remedium, quia temporis angustia longiorem orationem non patitur, summis (quod aiunt) labiis attingere conabor. Etenim generis splendor, et nobilitas, opes, clientelae, magnatum et principum gratia et benevolentia, praeclara quaedam sunt, et quae mundus miratur et suspicit: ad quae quicumque pervenerit, putant se ad felicitatem, summumque fastigium proxime accessisse, ac velut montes quidem aliis supereminent. Ceterum nisi qui haec omnia fuerint assecuti, probitatem quoque ac pietatem, literarumque sacrarum cognitionem cum his conjunctam habuerint indigni profecto sunt omni ecclesiastico sacerdotio ac dignitate. *Montes,* ii sunt *Gelboe,* *super* (2. Reg. 2.) *quos nec ros nec pluvia unquam cecidit.* At contra valles, pingues quidem illae, et quae abundant frumento, viri illi sunt, qui eximia innocentia, insigni doctrina, magnis animi donis, ingeniique ornamentis pollent. Ii sunt, ii sunt, patres, qui omni cura exaltandi, montes vero illi Gelboe ut horum similes aliquando efficiantur, sunt humiliandi. Quod si fieret, essent profecto *prava in directa, et aspera in vias planas.*

Haec sunt, patres amplissimi, praecipua illa quatuor ex evangelica lectione desumpta remedia, brevi satis oratione nobis hactenus explicata. Quae si per vos ecclesiae morbis applicarentur, non dubito quin tot malis affecta ecclesia ab iis omnibus ad integram sanitatem, optatamque felicitatem brevi traduceretur. Si unquam autem hoc erat sperandum, nunc quidem temporis maximo quodam jure universa quidem ecclesia a vobis expectat: qui divino quodam Spiritu ducti eo huc convenistis, ut omni cura totoque conatu ejusdem morbis remedium afferatis. Efficite igitur, patres, efficite, qui nunc estis Tridenti, ut quorum nunc eruditionem et auctoritatem, magnamque frequentiam universus orbis magnopere admiratur, laudet posteritas iudicium, prudentiam, ac pietatem. Vos enim pientissima illa, et communis omnium mater ecclesia gravissimis injuriis affecta appellat, vos rogat, vos obtestatur, vobis tamquam medicis et chirurgis ostendit non modo pulsum et faciem, sed et livores et plagas *Magna est, o ecclesia, velut* (Thren. 2.) *mare contritio tua, quis medebitur tibi?* vos soli, patres, vos, inquam, vos penes quos sunt certa hujus morbi, et explorata antidota: penes quos sunt praesentanea et parata tantorum malorum remedia: quae si commode, opportune atque celeriter (est in mora periculum) adhibueritis, felicem quidem ecclesiam:

Si vero abincoepto destiteritis, aut re infecta, quam felicissime coepistis, in patriam (quod Deus avertat) redieritis, actum profecto erit de nobis. Nam praeterquam quod adversariis nostris risum, vobisque ingentem ignominiam conciliaretis, clamaret etiam lugens ecclesia, justoque dolore compulsa, Deum adversum vos cum Isaia his verbis interpellaret. *Vulnus (Isaia. 1.) et livor et plaga tumens non est alligata medicamine, neque fota oleo*, eorum qui mihi succurrere poterant, negligentia.

Sed quid ego imprudens vereor? Quid rem etiam alioqui justissimam vobis nitor persuadere? quorum omnium summam, satis superque habeo exploratam? Et quos certo sci, suscepto per vos muneri non defuturos? Pergite igitur, alacri animo, eodemque studio quo coepistis, nosque interim, qui laborum vestrorum participes fuimus, et sumus, Deum optimum maximum, qui est bonorum omnium parens et auctor, gemilibus, suspiriis, et continuis precibus interpellabimus, ut quae per vos felicissime coepit, per vos etiam non minus feliciter perficiat et absolvat. Et jam hoc ipsum, patres, cum ecclesia nostra hodierno die orante petamus, et finiamus, dicentes: *Aurem tuam quaesumus domine precibus nostris accommoda, et mentis nostrae tenebras gratia tuae visitationis illustra. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.*

XVII.

SERMON PREDICADO ANTE LOS PP. TRIDENTINOS

POR EL DOCTOR GASPAR CARDILLO VALLALPANDO, EL DIA DE LA CIRCUNCISION DEL SEÑOR DE 1563.

Christus servator hominum imbecillitatis nostrae atque miseriae satis conscius, cum pro sua singulari benevolentia erga nos, et admirabili caritate qua dilexit mundum, cuperet nobis opitulari, hoc documento admodum salutari atque caelesti nos instruit, ut cum re quapiam indigemus, caelestem patrem adeamus, et eundem in nomine suo, si voti compotes evadere velimus, nostris precibus solitemus: fiet enim vobis, ait, qui fidelis est, et mentiri nequaquam potest, quicquid petieritis patrem in nomine meo: id si verum est, cum quibusvis aliis necessitatibus laboramus, dubitari nulla ratione potest, quin sit ille nobis longe magis praesentaneam opem laturus, qui angustiis premimur inextricabilibus, dum sacrorum mysteriorum parum conscii, artis benedicendi ignari, omnium bonarum disciplinarum rudes, usus rerum inexpertes, denique praesidiis omnibus atque ornamentis animi destituti, in hoc celeberrimo et clarissimo orbis theatro, coram principibus in omni genere literarum, prudentiae et pietatis viris, de re omnium gravissima difficillimaque, de nomine, inquam, Iesu orationem hodierno die sumus habituri: ac nisi haec unica spes mihi reliqua facta fuisset, proculdubio ab incepto destituissem: illa tamen me recreat reficitque, illa mihi vires suggerit, atque animum facit ad dicendum amplissimum. Pulsemus igitur precibus eundem, atque in nomine Iesu ab eodem enixe petamus, ut depulsis ignorantiae tenebris, ita mentis nostrae penetralia divini luminis splendore colustret, ut dum vobis, sanctissimi patres, sicut decet, ac par est, hac in re morem gerimus, brevis a nobis de nomine Iesu oratio instituta, non sine ingenti fructu spirituali decurrat: eam rem magno compendio consequemur, si carissimam Christi matrem precibus allegaverimus: annuet illa, ut solet, piis votis, si legationem caelestis paranyphi, qua mirifice affici consuevit, in memoriam ejus revocemus: Ave Maria.

Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur. (Luc. 2.)

Illustrissimi legati, oratores clarissimi, sanctissimi patres. Octavus hic agitur dies, ex quo Dei verbum e sinu patris processit, ut caro fieret, ecce hodie prodit ex materna domo, id est, admodum humili tuguriolo: ut nobis pro quibus humanam carnem induerat, palam sese ostendat: et anni exortu prospera cuncta atque laeta nobis reddat: cum sanguine fuso desideratam diu ar-

dentibus votis pacem confirmat, quam ex aethereis sedibus in terras advexerat: et nomen sumit, ut eo agnosci atque invocari ab omnibus possit, qui paucis haecenus, ut scriptura refert, notus erat: hunc ego vobis annum, patres, faustum admodum atque laetum in Christo precor.

Evangelium, quod hodierno die sancta Romana ecclesia nobis explicandum praebet, paucissimis tantum, quae retulimus, verbis constat: ac licet verborum apparatu admodum exiguum sit, copia, et mysteriorum magnitudine, non facile possit longiori cedere: quamquam enim omnes sacrae literae illud peculiare contineant atque suum, contra quam prophana hominum scripta, ut plus habeant in recessu, quam fronte promittant: fit interdum, sic dispensante divina sapientia ut brevi aliqua oratione sacratiora mysteria et majora sacra condantur, quam longa: quod accidit in praesentia, atque ut rem universam initio orationis meae in summa dicam: duo sunt maxime, quae paucis his verbis sacer evangelista Lucas nos docet. Primum narrat octavo die post ortum suum, humani generis redemptorem vindicemque, juxta praeceptum Mosaicae legis esse circumcisum. Deinde nomen ei positum fuisse, et appellatum esse Iesu, quod sane nomen non accepit ab homine communi more, sed a Spiritu potius caelesti divinoque: neque cum in lucem editus esset jam, ut vulgo fit, sed priusquam in utero conciperetur, quod idem evangelista testatur, cum ait, trepidanti virgini angelum dixisse: *Ne timeas Maria, invenisti (Luc. 1.) enim gratiam apud Deum: ecce concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Iesum*: quam appellationem aeternum patrem sublimi in solio residentem dilecto filio suo olim dedisse dono, Paulus testatur, cum ait: *Exaltavit illum (Phil. 2.) Deus, et donavit illi nomen*. De utroque igitur mihi dicendum est hoc tempore, volente Deo, ea brevitate, quam res usque adeo gravis, difficilis atque impedita pati possit: eo etiam splendore, quem ingenii nostri mediocritas tulerit: modo vos, sanctissimi patres atque lumina orbis terrarum, vestra consuetudine, id est, intentis animis meque dicentem audialis.

Quoniam circumcisio populo Israel ea potissimum causa praecepta est, ut haberet ad manus praesens aliquod efficacissimumque remedium adversus culpam illam, quae a primo parente ducta, atque in universum genus hominum transfusa cum semine, in ipso nostro ortu natura contrahitur: Christus vero servator noster contagium mortis antiquae prima sua nativitate non sensit, sed omni prorsus vitio caruit, videbitur fortasse cuiquam frustra tam atrocem cruciatum tennerrimus infans sustinuisse: ceterum si rem altius inspiciamus, plane comperiemus, hanc ipsam, de qua loquimur, Christi circumcisionem, non modo utilem fuisse, sed praeterea multis nominibus necessariam: ut enim libenter fateamur, sacramento circumcisionis vindicem atque assertorem libertatis humanae minime indignis, dici non potest, quot et quantas saluti hominum atque vitae utilitates attulerit, ut existimare debeamus, non sine admirabili quadam providentia, divinoque consilio, eundem pro nobis circumcidi voluisse, quorum saluti plurimum studebat.

Ut enim hinc exordiar, nisi Christus Iesus sacramento circumcisionis fuisset initiatus, atque adscriptus populo Israel, difficile sane aditus patere posset ad persuadendum genti Hebraeorum, quod efficere cupiebat maxime, se esse Abrahæ genus: cui circumcisio imperata est, atque in super illum prophetam, quem Moses praedixerat Hebraeis, ex eorum fratribus et familia excitandum esse a Deo: itaque nisi circumcisus esset, tamquam alienigena, a Iudaeis cum ratione rejici posset: neque ullam apud eos ejus oratio fidem inveniret. Deinde eo consilio factum putamus, ut genus hominum ab hujusmodi sanguinario sacramento eriperet, et cum eo veterem legem onusta ceremoniis, et praeceptis gravem, nostris humeris depelleret: cum enim antiqua lex, Christi servatoris nostri umbra esset, necesse quidem erat, orto sole, umbram dissipari atque evanescere: pro cruenta vero circumcisione, placidum baptisma: pro molesta et gravi sarcina vetustae legis, jugum quoddam suave, et onus admodum leve reliquit nobis: si, ut Paulus monet, spiritu gratiae imbuti, in caritate non ficta ambulaverimus. Sanguinem praeterea fudit, ut hominum salutem, quae juxta aeterni patris decretum ejus vita constare debuit, et quam ut procuraret, paulo ante naturam humanam cum divina conjunxerat: jam jam negotiari inciperet, atque eodem antiquis nostris vulneribus mederetur, quae nondum obducta cicatrice, dirum adhuc atque pestilens virus evomebant: ad eam enim rem praestandam, neque commodius ullum, neque efficacius magis opobalsamum inveniri, excogitarique poterat? O summum medendi artificem! O animorum curatorem admodum peritum: neque peritum modo, sed mitem etiam atque benignum: ut et sciret, et vellet nostris infirmitatibus compati, easdemque sanaret!

Audite divini medici, patres, peritiam singularem, atque affectum erga nos, qui pene jam era-

mus deplorati: nulla nobis pharmaca propinat, non potionem amaram porrigit, non patitur nobis scindi venam, neque putrescentia membra nostra cauterio aduri, non adhibet externa fomenta, vulgaria omnia remedia consulto praetermittit: quae cum affectis locis admoventur, gravem dolorem aegris adferre solent: ut enim nullum inferant alium, certe stomachum turbant, nauseam movent, et cum nusquam molesta non sint, saepenumero sine ulla nostra utilitate sumuntur, ac nocent interdum. Christus pro nobis acerbos atque insuaves syrupos bibit: ille acetum et fel gustavit, et quae vulnera sentire fomenta non poterant, curavit ferro: nam carnem suam lubens volensque hodierno die pro nobis gladio secandam praebuit, atque in tenerum corpus suum crudelissime adacto cultello, pestilens ex nostro, exitialeque venenum extraxit: ut verum sit, quod de eodem Isaias narrat: *Vere languores (Isai. 52.) nostros ipse portavit, et dolores nostros ipse tulit*: cui Petrus consonat, cum ait: *ipse peccata (1. Petr. 2.) nostra pertulit in corpore suo*: ejus enim inopia, nos divites facti sumus: ejus ignominia, nobiles: ejus imbecillitate, fortes atque robusti: ejus fletu, hilares, et jucundi: ejus sanguine, recreati: *ejus libore sanati sumus*: ejusdemque mors, immortalis atque aeternae vitae causa fuit. Unum illud a nobis requirit, patres, *ut peccatis mortui, justitiae vivamus*: nemo igitur sibi blandiri velit existimans Christi circumcisionis se usquam participem esse, qui non prius summo studio, accurataque diligentia in eam rem incubuerit, ut anteactae vitae pertaesus, atque etiam contractas sordes abluerit poenitentia: veterem hominem, qui corrumpitur, cum vitiis et concupiscentiis suis et exuerit, et abjecerit procul; atque insuper novum induerit, qui secundum Deum creatus est: haec illa nova est, et perpetuo duratura, circumcisio: ad hanc nos, vetere abrogata, suo exemplo Christus provocat: hanc sancta ecclesia Dei, sedulo revocata in memoriam nostram singulis annis Christi circumcisione, docere nos vult: hanc ille modo, qui se ita composuerit ut abnegata omni impietate, sobrie, caste, et pie vixerit, se feliciter imitaturum confidat, Pauli testimonio.

Insuper dum dissecata sanctissima carne sua, sanguinem pro nobis copiose, et liberaliter fundit, adactis stimulis, non solum Christus incitat nos, ut corda nostra scindamus, dolore, gemituque ex flagitiis et pravis facinoribus, quibus hactenus cooperti sumus, concepto, sed futurae quoque necessitati providet, adhibetque remedium: sciebat enim is, cujus divinis oculis nuda atque aperta sunt omnia, consequentibus temporibus non defuturos homines, imo potius feras truculentas, luposque rapaces, qui ore impudenti, et sermone blasphemio praedicare non vererentur, Christum Iesum verum hominem minime fuisse: huic errori modo occurrit: hanc blasphemiam exagitat: hanc teterrimam haeresim profligat, dum circumciditur, dum abscisa carne dolet, dum sanguinem fundit.

Erubescere igitur Cerdo insane, disce hinc sapere Marcio temerarie, mentem mula pestilens Manichaeae, desere sensum tuum impie Priscilliane: agnoscite in Christo Iesu humanam naturam in unam hypostasim cum divina coalescentem atque conjunctam: neque enim id genus affectus in eum cadere possit, qui re vera homo non sit: tu quoque perfide Ari et veterator, dum ab angelo legis imperio Dei positum Christo nomen, et appellatum esse Iesum: cum nondum in utero matris conceptus esset, insanissimi erroris convictus fatearis necesse est, sub his tenerae carnis involucriis divinam adesse naturam.

Postremo veteri ecclesiae, quae circumcidi hominem jubebat, Christus obtemperat, et cum sub lege non esset, legi se subijci passus est: ut nos exemplo suo, ad obedientiam ecclesiae, et mandatorum ejus observationem hortaretur: quae tam est homini ad aeternam vitam comparandam necessaria, quam ad hanc vitam quam vivimus, corporis alimentis indigemus. Huc spectat illa Christi vox apud Lucam evangelistam ad ecclesiam: *Qui vos (Luc. 10.) audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit*: et quod inquit per Matthaeum: *Qui ecclesiam (Matth. 18.) non audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus*: ut summa quadam ratione ad ejus studium sapiens nos inflammare conatus sit: cum enim legum ab aeterno patre conditarum mentionem intulisset his verbis: *conserva fili mi praecepta patris tui*, ecclesiae quoque praecepta memorat, dicens: *et ne dimittas (Prov. 1.) legem matris tuae*: cujus strenuam culturam cupiens nobis maxime commendare, subjungit, *liga eam in corde tuo jugiter, et circumda gutturi tuo: cum ambulaveris, gradiatur tecum: cum dormieris, custodiat te: et evigilans loquere cum ea*, est enim paternum mandatum: quod ejusdem Salomonis divinis literis consignatum lucernae instar est: ecclesiae vero lex, atque doctrina, lux est. Quemadmodum autem lucerna sine luce prodesse nequit: ita quoque divina mandata, nisi ecclesiae auctoritas accedat, et ab ea illustrentur, proficere homini nulla ratione va-

lent. Est enim ecclesia, incorruptus iudex, et fidelis interpres sanctarum scripturarum: illa nobis sacros libros dedit, eadem illos discevit a prophanis ejus admirabilis atque divina lux universas illas tenebras, quae sacris olim libris continebantur, discussit, disjecit depulitque: haec omnem controversiam dirimit: et scrupulos eos, qui nos male habere solent, nostris animis eximit, dum obscura quaeque et involuta interpretatur, ut magna ratione quicumque ab ea, cum de fide quaestio est, ad scripturam sacram provocat, fidei proditor atque desertor constituitur: qui vero se ab ejus disciplina quocumque modo conantur eximere, capitales imprimis inimicitias cum Christo gerunt: ut enim magnis auctoribus placet, non potest Deum habere patrem, qui ecclesiam non agnoscit matrem: non agnoscit autem ecclesiam, qui non illam studiose colit, qui sanctissimas ejus leges non reveretur, qui ritus omnes antiquos, qui statas ceremonias, qui vetustas traditiones non observat, qui auctoritatem, majestatemque universalis ecclesiae non amplificat cum ratione, si possit: denique qui pastoris non universam Christianae reipublicae disciplinam alta mente reponit.

Duo sunt, sanctissimi patres, quod vos probe nostis, veluti lapides Lydii: unum est, si pontifici maximo libenter pareamus, et ejus dignitatem sartam tectam servemus, quem in ea ecclesia, quam sanguine atque vita fundavit sua, tamquam in suo regno Christus Iesus successorem reliquit: ut hanc, quam cernimus, universam reipublicae Christianae molem auctoritate atque prudentia sua moderetur: atque inde ceteris omnibus, qui sunt in eadem, veluti ex capite atque fonte gubernandi atque agendi vis et facultas omnis derivaretur et promanaret. Alterum est, si Christianae reipublicae disciplinam toto (quod aiunt) pectore amplectamur: quae majorum probitate, doctorum consensu, et tot populis, totque saeculis probata recte vivendi consuetudine potissimum constare videatur: nam contempta illorum auctoritate, qui ecclesiae praesunt, aut hujus politiae ordine perturbato, subito corruat universa morum disciplina necesse est, atque omnes quo libido fert, tamquam vinculis soluti, aut potius furiis agitati in quodvis flagitii genus prolabantur: ergo qui alterutrum violat, proculdubio defectionis crimine aut perfidiae vacare non potest: in quo vitio aetate nostra universam illam haereticorum colluviem esse scimus, quos Martinus Lutherus suo magisterio dementavit, quantumvis illi se speciosis rationibus tueri velint: fatemur enim, neque sine incredibile animi dolore atque acerbitate, quod haeretici nobis objiciunt, atque ob eam rem vetere de medio sublata, novam in terris ecclesiam fingere constituere moliantur, in nostrorum hominum disciplina esse nonnulla, emendatione atque animadversione dignissima: non inficiamur aliquantulum nos ab optimorum parentum religione, pietate, ac sanctimonia deflexisse: quod partim socordia nostra accidit: partim temporis injuria, quod omnia solet in pejus mutare: denique vivendi licentia, quibus corrigendis sacrosancta ista, comitia vestra, ecclesiasticae conventus coierunt, sed numquid continuo rerum ordinem propter abusus convellemus? numquid oeconomiam illam, quam Deus optimus maximus tamquam prudentissimus paterfamilias in sua domo esse voluit, perturbabimus? atque illum ordinem, quem Christus posuit in republica sua, prorsus de medio tollemus? aut quemadmodum Lycurgum ferunt, propter eos, qui ad temulentiam vino abutebantur, vites penitus excidisse, ita quoque nos propter quorundam deformatos mores, non reformatam vivendi normam, sed radicitus extirpandam atque abrogandam existimabimus? et quod pessimum omnium est, illam cum nova ex impurissimo, atque admodum insano cerebro Martini Lutheri orta, commutari patiemur?

Quis est, obsecro vos per Deum immortalem, patres, tam immemor beneficii accepti, tam paternae caritatis oblitus: tam ab omni denique officio atque humanitate abhorrens, ut propter paucas rugas, et nonnulla corporis vitia, quae cum aetate a nobis necessarie contrahuntur, non modo matrem non agnoscat suam colatque, sed etiam cum dedecore a se quam longissime abjiciendam arbitretur? Ego vero ita mihi persuasi, qui ut ecclesiae maculas abstergant, purgentque, perinde illam tractant, atque haeretici nostris temporibus: persimiles esse iis, qui ut corrigant peccata, vel morbos adimant, homines ipsos de medio tollunt: aut qui se domum strenue purgasse censent, quod fuerint illam funditus demoliti: tollenda zizania non (*Matt. 4.*) sunt, dum appetit tempus messis, quod Christus ait, ne simul cum his segetes evellamus: contentos vero sorte nostra, nisi per nos facile possint corrigi, de aliis non oportet admodum esse sollicitos: obedire tamen imprimis ecclesiae debemus exemplo Christi, qui, ut nos salutari obedientiae manciparet, nulla necessitate sua, legi se submitit. Iam vero de nomine Iesu, quod initio polliciti sumus, succincte, et sub quadam brevitate dicamus, quod ut commodius praestare possimus, iterum benevolentiam vestram atque attentionem animi patres imploro.



Mysteriorum, quae in hoc nomine latent, de quo dicere instituo, patres sanctissimi, pondere-
que facile obruemur, si omnia persequi vellemus scrupulose: ego vero recondita atque abstrusa
nimis, relinquens illis, qui me magis ingenio valent, et sanctarum scripturarum perilia, ea tan-
tum persequi curabo, quae ad rem pertinere plurimum videbuntur, et negotii minimum facessent.
Quid enim, obsecro vos, in eo nomine mysterii non insit, quod filio suo aeternus indidit pater,
et per angelum patefecit hominibus, cum nondum in utero matris formatus esset, quid [non in
eo nomine sacramenti contineri credimus, quod Paulus ait esse super omne nomen? Si verum
est, quod graves in primis philosophi nobis tradiderunt: collocari nomina solere juxta naturas re-
rum, ego non video, cur debeat, aut possit cum hoc nomine ullum aliud de dignitate et prae-
stantia certare. Iesus etenim (quod Lucas evangelista nos docet his verbis ad virginem) *Paries*
(Luc. 1.) *filium, et vocabis nomen ejus Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum,*
redemporem servatoremque significat. Captivum quempiam in libertatem asserere, magna quidem
res est: at populum, at gentem aliquam, et orbem terrarum universum, excellentissima quidem
res est, aut potius divina, tum maxime, cum ii, qui tenentur captivi, nulla virtute sua, nullis fa-
cultatibus, nulla suorum ope usquam e vinculis eripi possunt. Christus vero servator noster, quod
in se fuit, universum genus hominum gravi quadam tyrannide ac servitute oppressum, unde ex-
tricari vi sua nullo pacto valebat, non argento quidem, aurove, sed pretioso sanguine suo, aut,
potius vita ipsa divina in libertatem vindicavit. Hoc nos plane beatus Petrus docet, cum ait:
Non corruptilibus (1. Pet. 1. Cor. 6.) *quidem auro vel argento de vana vestra conversatione re-*
dempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi incontaminatique empti estis pretio
magno. Paulus ait. Neque contentus ea re, insuper etiam, chirographum illud, quo nos debitores
constituebamur satanae, mundo, et carni, sanctissimae cruci suae sic affixit, ut amplius debitum
repetere debitores non possint: ipsos etiam tyrannos tam misere debilitavit, affixit atque oppres-
sit, ut in posterum cum homine, de quo tam esset Christus benemeritus, hostes acerrimi humani
sanguinis sitientissimi, sedulique aperto Marte congregari non auderent.

Merito igitur, ut dicebam, verbum divinum caro factum, nomen Iesu, hoc est, salvatoris ac-
cepit. Accepit autem hoc nomen in circumcissione, id est, cum antiquum sumit sacramentum, ut
nos ipsos hoc caelesti magisterio imbuat, eam viam tutissimam esse et compendiarium, maxime
ad percipienda caelestia beneficia, aeternamque salutem, si ad ecclesiae sacramenta, confugiamus,
per quae tamquam per canales quosdam Christus statuit, ut ad nos divina gratia derivaretur: qua
bonis operibus foecundi, ejus amicitiae arrhabonem et pignus admodum securum haberemus. Heu
perditos ter quaterque, atque omni salutis praesidio destitutos haereticos nostra tempestate, qui
sacrosanctis sacramentis, id est, divinae gratiae bellum indixerunt: heu, miserandam et ter qua-
terque dolendam eorum sortem, qui fontes aquae vivae, et salientis in aeternam vitam non tur-
baverunt modo, sed omnino sibimetipsis extinxerunt, praecluseruntque.

Quamquam autem in nomine Iesu multae atque maximae virtutes insint, harum plerasque, ne-
que vulgares, ut opinor, magno compendio, pro sua sapientia singulari Salomon complexus est,
cum Christi nomen oleo effuso compararet, dicens: *Oleum* (Cant. 1.) *effusum nomen tuum:* magnam
etenim cum oleo affinitatem habet hoc nomen, quod summa quadam brevitate monstrabo. Impri-
mis oleum symbolum esse scimus hilaritatis atque laetitiae: hinc ethnici homines geniales dies
celebraturi, quo tempore hilares atque laeti videri cupiebant, unguentis delibuti ex oleo factis, in
publico se conspiciendos praebebant. Vitae quoque magister cum vellet a jejunio hypocrisim ar-
cere, quae lineae instar egregie facta corrumpit atque consumit, hilares et jucundos nos esse ju-
bet, dicens: *Tu autem* (Matth. 5.) *cum jejunas unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris*
hominibus jejunans: et cum docet pluris faciendam esse nobis reprehensionem acerbam viri boni,
qui nos quibus haeremus peccatis revellere studet, quam improborum hominum assentationem
blandaque verba quibus laeti atque hilares effici solemus: hilaritatem animi oleo comparat, cum,
ait: *Oleum* (Psal. 140.) *autem peccatoris non impinguet caput tuum.* Oleum praeterea ad vires pa-
randas, et retinendas in corpore plurimum valet: ob eam olim athletae cum in pulverem descen-
debant, dimicaturi cum aliis, oleo se totos perungebant: ne pugnando, spiritibus transmissis per-
patentes corporis meatus, quos oleum obturat atque obducit, vires dissiparentur, atque ita minori
negotio victi caderent. Leniendi etiam, atque emolliendi vim habet maximam, quod plane constat,
quod si e capsula, vasculove quo continetur, extractum passim affundatur, mirabiliter fragrantia
sua homines afficit, excitatque.

Tot igitur nominibus sapientissimus Salomon nomen Iesu oleo effuso simile esse ait: neque sine magna profecto ratione: primum enim mirabilem quamdam, etiam in mediis malis positis, nobis laetitiam et adfert hoc nomen: hinc illa Ioannis vox priori epistola: *Ejus nomen consolatur* (1. Ioan.) *in omni tribulatione nostra*: nam ejus memoria omnem nobis molestiam discutit, omnem moerorem adimit, depellit animis omnem solitudinem: est enim aeneus ille serpens, ut idem Ioannes in evangelio testatur, quem Moses exaltavit in deserto: ut in eum intuentes omni malorum genere liberarentur. Unde tantum ac tam profusum gaudium Christi discipulis adfuisse credamus, ut immaniter flagris caesi, et fustibus contusi, laeti tamen ac hilares abirent? non aliunde quidem quam ex nomine Iesu memoria repetito: quod acta apostolorum sic expriment; *gaudentes* (Act. 5.) *ibant discipuli a conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumetiam pati*. Unde erupit illa vox gaudii atque laetitiae plenissima: *nobis donatum* (Phil. 1.) *est ut pro Christo pateremur?* proculdubio ex nomine Iesu.

Nomen ergo Iesu in animum admissum, et conditum intra praecordia inenarrabilem nobis laetitiam parit, emollit quoque animum, et turbulentos affectus componit, sedatque tumultus: nam ex quo tempore Christus in terris ortus est, diruta maceria est, inter Deum atque hominem pax coire coepit: et inter ipsos homines concordia regnare visa est, dum eisdem beneficio Iesu data facultas est, diram libidinem coercendi, domandique appetitum: qui post primi parentis lapsum, non parere (cum natura servus sit) sed imperare potius reginae, rationi solebat: haec est illa pax, quam caelestis paranymphus generi hominum attulit e caelis: et renunciavit, dicens: in terra (Luc. 2.) pax, in hominibus beneplacitum: hanc eandem, cum a nobis abiret Christus, his verbis confirmavit, *pacem* (Ioan. 19.) *meam do vobis, pacem relinquo vobis*, eandem esse exorituram hoc tempore, inter ceteros vates sacer Isaias plane atque aperte praedixerat. Mirabile praeterea nomen animos facit nobis, suppeditatque vires: quibus instructi atque armati, insuperabiles, ut ita dicam, hostes superemus: *neque* (Act. 4.) *enim est aliud nomen sub caelo*, ut scriptura refert, *in quo nos oporteat salvos fieri*, quando his, qui credimus in nomine ejus, Ioanne referente, potestas datur, ut filii Dei (1. Ioan. 1.) efficiamur et simus: dum vita superest, quae militia quaedam est, vel lobi testimonio, Christus nos ad pugnam hortatur: ac ne simus de victoria solliciti, gaudete, inquit, bono animo estote, forti atque constanti: audacter cum hoste confligite, reportabitis proculdubio victoriam: ego enim jam vobis mundum vici: ego fortem superavi, ejus ego arma diripui, comminui vires, debilitavique: hoc duce quis tam imbellis, aut timidus natura, qui cum hoste suo non audeat in certamen descendere? hoc tam strenuo tutus imperatore, quis non confidenter pugnam capessat? *si consurgant* (Psal. 26.) *adversum me castra*, aiebat David, *non timebo malum, quoniam tu mecum es: si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo: si Christus pro nobis, quis contra nos?*

Ubi vero diffundi coepit hoc nomen olei instar, ubi non in Iudaea modo, sed etiam inter gentes, coram regibus et principibus Christus praedicari coepit, ejus nominis fragrantia tam mirifice omnium mentes ad pietatem excitavit, ut Paulus dicat in ejus nomine omnium genu (Phil. 2.) flexum esse, ad ejus pedes omnia procubuisse, caelestia, terrestria, atque inferna: ac postquam in aethereas sedes remeavit, unde acturus negotia nostra in terras venerat, traxit ad se: ergo nomen Iesu admodum accommodate, convenienterque sapientissimus Salomon oleo effuso comparavit: habet tandem idem nomen, quod attinet ad hanc rem, aliam quamdam vim admirabilem atque doctrina divinam, quam Christi ipsius voce atque doctrina didicimus: ea est, ut quocumque loco, et tempore quocumque fuerimas congregati, et de aliquo super terram consenserimus, praesto sit Christus futurus, qui medium sese inserat, neque errare eos sinat, qui in ejus nomine coierunt: et sane non rationi modo consentaneum erat, sed etiam necessarium: ut qui ecclesiam in terris praedicatione sua, sanguine suo, vitaeque sua erectam et fundatam relinquebat: modum quoque et rationem doceret eandem, qua necessitatibus atque malis subinde nascentibus in perniciem ecclesiae obviam ire posset. Promisit igitur se adfuturum, cum in suo nomine procerum ecclesiae concilia cogerentur ad stabiliendam veterem disciplinam, ad tuendam Christianam fidem purgandamve, neque timor nos ullus sollicitare debet: ne ille usquam ab hujusmodi sanctissimo coetu absit, qui fidem suam ecclesiae dedit, se permansurum cum eadem: atque id propria manu apud Ioannem chirographo confecto, conceptisque verbis, cum ait: *non vos* (Ioan. 14.) *relinquam orphanos, veniam ad vos*: et planius, cum discipulis inquit, qui ecclesiam repraesentabant: *ego* (Matth. 28.) *vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi*. Insuper etiam Spiritum sanctum suum e summo vertice caeli in

terras venturum esse promittit: qui perpetuo habitet apud nos, et ecclesiam instruat monitis salutaribus, cum ait: *Ego rogabo (Ioan. 14.) patrem, et alium paracletum dabit vobis, patronum inquam alium, monitoremque: ut maneat, inquit vobiscum in aeternum:* et paulo inferius: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia.* Christi igitur auspiciis, qui ecclesiae suae praesidet, omnia nobis prospera atque felicia contingent: Spiritus sancti magisterio, qui ecclesiam doctrina imbuat, omnis erroris caligo prorsus dissipabitur: patrocinio aeterni parentis ecclesiae munitae quae tanta vis ab hostibus veritatis et religionis inferri aut intentari possit quae non subito quam longissime repellatur?

Audent nihilominus, patres sanctissimi, haeretici hac tempestate conciliorum auctoritatem in dubium revocare: quid dico revocare? explodunt, et conculcant pedibus apostolicas sanctiones, atque universalis ecclesiae decreta convitiis proscindunt. Quaerat fortasse quispiam, quo argumento ducti, quave ratione persuasi id faciunt: illa nimirum, patres, fallaci admodum atque captiosa, quod in his ipsis comitiis vestris adsit interdum aemulatio, contentio, rixae, partium studium, ambitio, rerum cujusque propriarum amor, publicarum rerum negligentia, atque contemptus: absit veritatis indagandae et constituendae cupiditas, fraterna caritas, pietasque quae caelestem spiritum consequuntur: at vero, si rem propius contemplemur, plane reperiemus ea potissimum causa insanos homines conciliis oecumenicis detrahere, ut hanc tutissimam viam, firmissimamque rationem, quam a Spiritu caelesti edocti sumus ad haereses confutandas, ad sublevandam morum disciplinam, et reprimendam temeritatem hominum mente perditorum nobis praecludant, si possint, ac se ita tueantur: hinc illae lacrymae, huic rei maxime timent, haec illos male habet: et eorum conscientiam exagitat, neque immerito, mea quidem sententia: haec enim sunt castra Dei hostibus ecclesiae terribilia: haec, Spiritus sancti acies, ad superandos fidei desertores instructae: haec agmina caelestium spirituum, qui nulli usquam cedere consueverunt: haec denique robustissima illa manus David validissima petra communita, ad prosternendum immanissimum tyrannum Goliath, si quando populo Israelitico pergat maledicere, quamquam enim his sacrosanctis conciliis vestris caelestem Spiritum ecclesiae rectorem, patronumque, minime interesse crederemus: ipsa patrum, qui convenerunt in unum, sanctimonia, pietas, religio, usus rerum, doctrina insignis, rara eruditio, diligentia extrema, curaque, ipsa denique ratio atque forma tractandi singula: facile possint perditos istos nebulones mendacii atque blasphemiae arguere, modo vero constitutissimum habeamus praesentem adesse his synodis, simul cum caelesti paracleto Christum Iesum: dubitari sine infamiae atque perfidiae nota non potest, quin perinde atque oracula divina, rara, et firma habenda sint, quaecumque vos, patres sanctissimi, his ecclesiae conventibus sacrosanctis decreveritis, modo id legitime fiat, id est, consensu auctoritateque summi pastoris, cui Christus dominus in Petro ecclesiae suae gubernacula commisit.

Extrema vero insania et perdita calumnia Martini Lutheri, Calvini, et ceterorum prorsus nihili facienda est, qui ut apparet, fastidio veteris disciplinae rebus novis student: et ira potius et cupiditate, pessimis consultoribus pertracti, quam honesta ulla ratione ducti, ut erroribus suis patrocinentur: homines vitae impurissimae, frontis perfrietae, et qui simul cum cuculla omnem pudorem abjecerunt, non solum sanctis synodis robor, atque auctoritatem conantur adimere, sed ecclesiae quoque Christi detrahunt, in pontificem maximum, in ipsos patres, atque in universos sacerdotes, debacchantur: omnibus bonis viris sunt injurii: nullam antiquitati, nullam consensioni fidem habent: atque id tam impudenter, et animo usque adeo pertinaci, ut palam libris editis affirmare non vereantur, se minime unquam sententiam mutaturos.

Vos autem, sanctissimi patres, quando quidem omnibus hominibus estis debitores, et in hoc sublimi monte positi, in hoc excelso dignitatis gradu estis collocati, unde facile ab omnibus conspici possitis: ita vos gerite, ut etiam haeticorum ora obstruatis, ut in eo, quod (1. Petr. 2.) *de tractant de vobis tamquam de malefactoribus*, quod Petrus ait: *ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis: Nolite*, quod vos Paulus monet, *contristare Spiritum (Ephes. 4.) sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis: omnis amaritudo, ira, indignatio, clamor auferatur a vobis, sicut decet sanctos*, si quis vos affectus proprius sollicitat, circumcidite eundem, et abjicite procul, ut Christo, qui pro vobis est circumcissus placeatis: in extirpandis vero reipublicae Christianae abusibus, in sublevanda collapsa morum disciplina, in restituendo sponsae Christi pristino nitore tam strenue laborate, quod facitis libenter, ut nullam imperatorum, nullam regum, nullam principum virorum, nullam denique vestri commodi rationem habeatis, nisi quatenus illud

eum publico sit, id est, Christi atque ecclesiae conjunctum: id si feceritis, ego non dubito, quin Deus optimus maximus, fidem resoluturus sit, quam apud Isaiam prophetam carissimae sponsae suae pignori dedit, cum ait: *Consolabor super (Isaia. 1.) hostibus meis, et convertam manum meam ad te, o Sion, atque excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum, et restituum judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus, et vocaberis civitas justi, urbs fidelis: conteram scelestos, et peccatores simul, et qui dereliquerunt dominum consumentur.* Quod ut cernamus brevi, utinam concedat nobis Christus Iesus, cui est honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

XVIII.

SERMON PREDICADO POR EL DOCTOR COSME PALMA FUENTES, O FONTEYO.

NATURAL DE SAN MATEO, ENVIADO COMO TEÓLOGO AL CONCILIO TRIDENTINO POR EL REY DON FELIPE II., EL MIÉRCOLES DE CENIZA, 24 DE FEBRERO DE 1563.

Etsi (a) vereri merito debeo, cum eam, quae hodierno evangelio continetur doctrinam, aeterni patris lumen, ac splendor Christus, non nisi idoneis auditoribus summo in monte communicandam, reliquam vero multitudinem ad imum usque montem removendam existimaverit. Nae ego, qui de eadem in augustissimo orbis terrarum concilio ad dicendum aggrediar, temerarius judicor: tamen in hac temporum vicissitudine cum superiorum dierum hilaritatem, ac epulas non majorum magis instituto, quam more, habituque naturae hodiernae lucis dolor comes, ac esuriales mensae consequerentur, in quibus architriclini munus a gravissimis viris datum mihi, commissumque sit, cui vix aquae, nedum vini, quod frequentes hominum morbi flagitant, ad apponendum copia suppetat, ante ejus genua, cujus precibus hydriae illae suavissimo vino redundarunt, supplex procumbam, et caelestis illius vini, si non quantum tenui, parcoque prandio satis esse possit, angelicis ab ea vocibus implorabo. Ave Maria.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae, tristes. Matth. 6. cap.

Cum multa sunt, legati, cardinales illustrissimi, clarissimi oratores, patres sanctissimi, in quibus legis evangelicae omnibus numeris absoluta praestantia longe omnibus aliis legibus antecellit, et ut sola Deum sibi auctorem vendicat, ita sui cultores et viventes adhuc (quoad ejus fieri potest) et corporis vinculis solutos in deorum quodammodo sortem, numerumque transcribit: tum duo imprimis, quorum est alterum, quod non verbis solum, quid cuique faciendum, cavendumne sit, praescribit: sed eam est a suo conditore praeter ceteras praerogativam consecuta, ut divinum motum animis pulsionemque inspiret: qua, quae ab se praecepta sunt iis quibus praecipuntur, re ac factis praestare velint, et possint. Nam ut ex unius primi parentis peccato ea omnem posteritatem miseriarum moles oppresserat, ut incomparabilibus Dei donis gratuitis sublatis, naturalibus laesis, ac imminutis, et mens densissimis tenebris circumfusa de rerum cognitione humillime, et quiddam abjectum saperet: et cupiditas rationis imperio detrectato, sempiternum cum ea bellum et implacabile gerepet: Ita secundi hominis immortalis beneficio factum est, ut qui hominem a Deo in unam hypostasim assumptum, et Christum Iesu terrarum orbi servatorem datum esse constanter, firmiterque crediderint, honorum omnium suorum spem in eo collocarint, incensis caritatis facibus adamarint, tam admirabilem in seipsis rerum omnium commutationem comperiant. Ut mens divino quodam lumine illustrata altius diviniusque sapiat, quidque in rebus verum, quid falsum sit, longe aliter quam ante judicet: cupiditas vero veteri feritate, et acer-

(a) Este sermón estuvo inédito hasta que se puso en la impresión de Lobaina del año de 1867.

bis cum mente inimicitias depositis, ad tantam mansuetudinem et cum ratione concordiam traducatur, ut omnibus ejus imperiis lubentissime factis, in sempiternam caelestis regni pacem in seipsa jam inchoatam, tandem aliquando cum beatis perfruendam ardentissimis votis incumbat. Alterum est ita novum atque ante Christianae ecclesiae ortum inauditum, ut quicumque illius expertes fuerint legislatores, adeo nihil de eo cogitarint, ut ex illis non postremi hoc decus ornamentumque nostrum Christum, quod se id effecturam profiteretur, omnibus irrisionibus subsannaverint, convitiis vexarint, odio denique capitali inflammati, adnitentibus tenebrarum potestatibus, verberibus, suppliciisque excruciatum crudelissima morte mulctarint.

Veteres superioris vitae sordes, ac turpitudinem in fidem suam jurantium abluit Christus: et quos gravioribus flagitiis coopertos sibi suis legibus inimiciores videt, eos majoribus misericordiae visceribus expelitos, omnibus eorum criminibus sempiterna oblivione deletis, in suam civitatem asciscendos curat: contra quam aliarum rerumpublicarum conditores facere solent, qui quos in aliena a suis legibus morum consuetudine diu multumque versatos, inveterata peccandi licentia obstinatos obduruisse vident, tantum abest ut in suam civitatem adscribant: ut ab ea, si cives facti sunt, quam longissime exterminatos velint: existimantque, si quamplurimi a suis rationibus abhorrentes, ac perditi homines in suam civitatem, tamquam in sentinam confluerint, non illos a se ab amenti ac profligata ad saniolem, honestioremque vitam revocandos. Sed contra suis corruptissimis eorum moribus, tamquam pestifera tabe passim in civitate grassante, quod sanum adhuc integrumque duravit, ab illis corrumpendum, civitatis statum pessumdandum, ac miserabilem in eam vastitatem importandam. Non sic noster legislator, non sic, sed salvum facit quod perierat, ambulantes in tenebris et in umbra mortis, hoc est, altissimis vitiorum et ignorantiae voraginibus abreptos, et in mediam Stygem demersos ad lumen caeli spirabile excitat, et inusitata quadam medendi arte non ille sanis, quod ridiculum esset, medicinam facit, sed male habitamque reducit.

His igitur duobus legis evangelicae incredibilibus ac plane divinis aucta atque exaggerata Christiani hominis sorte, non jam ut servus et advena, aut egestatis, inediae, mortis supplicii, aut commutabilibus caducorum honorum praemiis propositis, in officio vix misereque continetur. Sed in sanctam civitatem adscriptus atque in ejus civitatis regum ac domini dominantium divinam stirpem adoptatus, oculis in unum suae felicitatis auctorem ac parentem Christum coniectis, in tantae beneficii commemoratione totus insistit ac commoratur, de ineffabilibus ejus laudibus nunquam conticescit: sua vero omnia consilia, dicta, facta ad ejus nutum voluntatemque moderatur, cui se suaque omnia accepta referenda esse profitetur, ac prae se fert. O praeclaros hoc nostro tempore, Christianae libertatis assertores! o vindices! o egregios plane, ut aiunt, ovium custodes lupos! Tu mihi, cum habenas indomitae atque efferenti sese licentiae laxes: laxes dico, cum opportunitate, impunitateque proposita, incites, pungas, ac veluti flagellis quibusdam, calcaribusque aduras, laceres, confodias caelestis illius Ierusalem speciem ac formam (ad quam mentis nostrae aciem, quantum terrena haec moribundaque membra non hebetant, dirigere debemus) in universo ecclesiae catholicae aedificio imitari et adumbrare: in singulis vero hominibus imperium rationis fundare ac stabilire: aut malas cupiditates parituras unquam putas? Sed homines quamvis sexcentis scripturae ac patrum testimoniis, sexcentis conciliorum decretis confixos, tamen nihil rectum, nisi quod ipsi somniant, usquequaque putantes omittamus: et ad ea, quae ex superiori disputatione, tamquam a suo fonte dimanant, paulatim accedamus.

Et profecto ita se res habet, patres sanctissimi, ut hic nostrae mentis illustrator, cupiditatis domitor, culpa condonator, libertatis assertor Christus, quorum animus ardentioribus caritatis flammis exarserat, non ille quidem eos graviore servitutis jugo premendos (quid enim liberatori indignius?) sed tamquam parens optimus sanctiore filios familiares disciplina educandos, informandosque putarit, quod ut faceret in montem, hoc est, in paternae majestatis celsitudinem evectus, in suo divinae sapientiae regno insistens, divina, non more loquitur humano, sed patris, et suo uno, eodemque spiritu fundit oracula. Ad quam interiori tantae doctrinae subtilitatem, si gregaria, quae eum sequebatur multitudo, admissa non est, non philosophorum more, fumi venditorum, suas illas nugas in eorum tantum aures, qui auro sibi eas appendissent, remotis arbitris instillantium, tantum cuiquam bonum invidit. Sed ut in rerum natura constantium ortu a parvis ac debilibus corporum initiis ad perfectam fit magnitudinem, firmitatemque progressio: ita quos communibus

etiamdum virtutum officiis, tamquam lacte infantes alebat, exquisitis perfectae honestatis institutis, et diviniorem sublimioremque vitam spirantibus: tamquam solidioribus cibus, et magnam, ut recte conficerentur, stomachi vim postulantibus non judicavit obtuendos. De qua utraque divinae doctrinae parte, quantum ad hodierni evangelii lectionem attinet, dum pauca breviter dicimus: peto a vobis, patres sanctissimi, ut qua me benevolentia hactenus dicentem audistis, eandem ad exitum usque prosequamini.

Quanta sit temperantiae in omnem humanae vitae partem vis, et utilitas, seu privatum corporis, animi, et familiae cujusque bonum, seu optimum rerumpublicarum starum spectemus, ex eo facile intelligi potest. Primum quod medicorum princeps Hippocrates in suis illis brevibus, et certissimam veritatem continentibus sententiis, statuit: ut parens filios non procreat modo, sed etiam alit: Sic cibi quoque ac potus moderatione non sanitatem modo in humanis effici, gigni-que corporibus, sed partam, , et tamquam procreatam retineri ab eadem et conservari. Nec vero de naturalibus animi bonis quamdiu loquimur, Aristotelis auctoritas repudianda est, qui in iis, quos scribit de moribus libris continentissimorum hominum, majorum suorum prudentiam magnopere admiratur.

Fingamus enim aliquem tanta incitatum corporis voluptate, quanta percipi potest maxima, nemini dubium esse debet, quin tamdiu dum ita gaudeat, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi possit, quocirca nihil tam pestiferum quam stimulans in hominibus qui se praestare student ceteris animantibus, veluti in pecoribus, quae natura prona, et ventri obedientia finxit, agrestium libidinum appetitio. Siquidem ea, cum major sit, omne animi lumen extinguit. Contra, quid homini melius, quid homine dignius ea, quae epulis, extractisque mensis et frequentibus poculis facile caret frugalitate, caret vinolentia, cruditate, et insomniis: caret voluptate omnium esca malorum, qua multo facilius homines, quam pisces homo capiuntur, caret turpissimarum libidinum agresti, ac furioso dominatu: iisque vinculis vitam relaxat quibus quadrupedem constringi miserrimum est. Nam cum hominis excellentia in eo maxime cernatur, quo ipse ceteris animantibus antecellit: qui earum voluptatum foetidissimo coeno se involverint quae sunt brutis maxime propriae, omnibus se suis maximis donis, ornamentisque spoliasse, omnem hominis nobilitatem ac praestantiam repudiasse, et in hominis figura importunam belluae immanitatem adamasse videntur. Iam si homines ad vitae communionem colendam, cujus causa tributa nobis est vox et oratio, nati, factique sumus, eaque ex singularum familiarum, quasi primo seminario, orta in urbium, regnorum, ac populorum magnitudinem excrescit, quale illud tandem futurum est imperium, aut patris in adolescentes liberos, quorum corpora propter sensuum vivacitatem ad omnes libidines propendentia, maximis animi perturbationibus, non secus ac commoto mari, saxa undis furentibus tunduntur: aut heri in servos, in quorum depravatis ingeniis tam infinita voluptatum appetitio inest, ut ne pistrino quidem, ac loris, imis infixis sensibus avelli extrahique possit, nisi ex continentiae, moderationis, ac temperantiae legibus honesta in domo disciplina ducatur? Quid de civitatibus, populis, gentibus regendis dicam? potestne capitalior pestis aut eorum qui praesunt animos invadere, quam voluptatis avidae libidines ad ea quae potiunda concupiverunt, temere effrenateque incitatae? Hinc patriae prodiones, hinc rerumpublicarum aversiones: hinc cum hostibus clandestina colloquia nascuntur: nullum denique magnum facinus est, ad quod non libido voluptatis impellat.

Apud regem Pyrrhum, populi Romani hostem, quosdam, qui se sapientes profiterentur, docerentque omnia, quae faceremus, ad voluptatem esse referenda, cum M. Curius et T. Coruncanus, continentissimi homines Romani audissent: optarunt ut id Samnitibus, ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. Annibalem quidem certe, memoriae proditum est, quamdiu se, suosque milites in militari labore, ac patientia continuit, maximis cladibus Romanos affecisse, atque in tantum eos discrimen adduxisse, ut de imperio pro quo decertabatur, deque urbe deserenda cogitarent. Sed cum a vario hostium armorumque genere invictus plurimis victoriis elatus, Capuam se in hyberna contulisset, et in urbe omnibus deliciis affluente, apparatusis hospitum mensis, et omnium voluptatum illecebris se, suosque milites enervasset, animi ac corporis vires fregisset, signis cum Marco Marcello collatis, fuscum fugatumque turpissime intellexit, qui Alpium juga nivibus pruinaisque obsita incredibili animi ac corporis robore superasset, Capuanorum instructissimis conviviis, vino, scortis, quasi venenatis poculis corruptus, jam de fuga potius, ac dedecore, quam de imperio et gloria sibi in posterum cogitandum. Sed quid ego externa commemoro, cum domesticis abundemus?

Numquam, ita me Deus amet, Christiani reges, qui domini bella, non sua bellabant, majorem victoriae spem in gladiis quibus cingebantur, quam in jejuniis, quibus macerabantur, et Christianae vitae austeritate collocandam putarunt. Theodosius imperator, castris cum Eugenio ad Alpium radices collatis, cum Ioannis Aegyptii eremite divina praedictione certissimam spem victoriae animi concepisset, postridieque cum hoste certare decrevisset, diem ac noctem, quae intercessit, sine cibo, ac potu insomnem orando, divinaque meditando traduxit, qua singulari in Dei virtute fiducia collocata, aptissimoque religiosae temperantiae cultu declarata, Christianissimus imperator impetravit: ut eo ipso, quo acies infestis signis concurrebant, tempore, maxima tempestate subito coorta, tam vehemens ventus adversariorum ora verberabat, ut non modo tela suorum militum manibus admirabili procella erepta: sed quae ab ipsismet Eugenianis jaciebantur, furentissimis turbinibus retorta in hostium corporibus defigerentur, tantamque stragem sine ullo suorum labore ederent, ut ad unum omnes tamquam fracto, illabenteque caelo strati, contusique sint. Quae militaris disciplinae et vitae durissima parsimonia, postquam dilapsa dissolutaque est, luxu pro ea, omniisque intemperantia in animis hominum grassante, deliciis colliquefacti, imperii magnitudinem tantam, ut ex ejus quamplurimis, et longissime inter se distantibus provinciis, plusquam sexcentos episcopos in Calchedonense concilium convenisse legamus, non modo ita amisimus, ut Christianorum aliquando fuisse vix credamus. Sed his paucorum regnorum angustiis circumscripti, a Mahometanis, haereticisque vexati, locum in quo pedem tuto ponamus, vix reliquum habeamus. Quod si Romanorum virtutibus, in quibus nulla hac ipsa, de qua loquimur, temperantia major fuit, orbis terrarum imperium praemio datum, tributumque esse Augustinus auctor est: jure plectimur, nostrisque maximis peccatis et Graeciae, Ungariae, Pannoniaeque provinciis non ita pridem expulsi sumus, et in Asiam, et Africam, in quibus olim latissime regnavimus, in miseram a Turcis servitutem abripimur.

Hanc igitur, patres sanctissimi, virtutem tantam, qua barbaris Christiani terrori formidinique fuerunt, animi corporisque vires retinuerunt, ad omnes praeclaras artes, omnemque honestatem incensi inflammataeque sunt, non in ecclesiastico ordine, (qui cum sit ad montis mysteria, ad quae mea festinat oratio, audienda admissus et in altiore sanctioris vitae gradum evocatus, contra haec communia virtutum officia peccare, ut credendum non est: ita si forte tantum scelus concipiat flagitiosum ac detestandum) sed in aliis, patres sanctissimi, Christianae reipublicae ordinibus qui ad imum montem constiterunt, renovate regum, principum, populorum mores in miseram vitiorum colluviem praecipitantes, ac importunissimis tactus gustatusque sensibus omnia dantes, omnia indulgentes, corrigite: luxum, lasciviamque resecae, tollite, et quod per vos ipsos optime intelligitis, sic habetote, nec libidine dominante religioni locum esse omnino, nec in voluptatis regno pietatem posse consistere. Ex philosophis Zeno, qui et voluptatis titillatione respuenda, et doloris perpeffione sumenda praeter ceteros maxime excelluit, de Dei providentia, de immortalitate animorum, de praemiis post hanc vitam honorum, malorum suppliciiis, quantum quidem perexiguo depravatae naturae lumine consequi poterat, ea sensit, quae correctione adhibita a nostris placitis non sint omnino aliena. Contra Epicurus, inventor veritatis, et architectus beatae vitae a suis impie nefarieque nominatus, qui testificatur ne intelligere quidem se posse ubi sit, aut quid sit summum bonum, praeter illud quod aut cibo aut obscena voluptate capiatur, de religione quid sensit?

Humana ante oculos foede cum vita jaceret

In terris oppressa gravi sub religione,

Quae caput e caeli regionibus ostendebat

Horribili super aspectu mortalibus instans

Primum Grajus homo mortales tollere contra

Est oculos ausus, primusque obsistere contra.

Ergo quod gigantum more leterrimum religioni bellum indixisset, ab eo poeta, qui amatorio poculo in insaniam adactus scribitur, maximis in caelum laudibus ponitur

De haereticis vero omnibus sic omnino statuo, nullum unquam jam inde a condita ecclesia adhuc extilisse, qui si non ipsamet voluptatis scabie, prurituque exarserit (qua ex scintilla pleraeque omnes haereses incendio conflagrarunt) insano certae gloriae appetitu, et fastu intolerabili, et exultante ex his ipsis nata laetitia, ac gestiente (in quorum moderatione modestia, mansuetudo, temperantia versantur) praeceps ablatus sit. De foeda vero horum nostri temporis ingluvie, qui in mensas veniunt, qui crudi efferuntur, qui nunquam orientem solem, nunquam occidentem vident,